DE LAZARI BAYFII

(1494-1550)?

VITA AC LATINIS OPERIBVS
ET DE EJUS AMICIS

Accedunt nonnullae Bayfii epistolae aut nondum editae aut rariores

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM
UNIVERSITATIS NANCEIENSIS

LUCIANUS PINVERT
CAUSIDICUS IN SUPREMA PARISIORUM CURIA,
DOCTOR IN JURE CIVILI.

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD A. FONTEMOING, BIBLIOPOLAM
4, VIA DICTA LE GOFF, 4
MDCCCXCVIII

DE LAZARI BAYFII

(1494-1550)?

VITA AC LATINIS OPERIBVS

ET DE EJUS AMICIS

Accedunt nonnullae Bayfii epistolae aut nondum editae aut rariores

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM
UNIVERSITATIS NANCEIENSIS

LUCIANUS PINVERT
CAUSIDICUS IN SUPREMA PARISIORUM CURIA,
DOCTOR IN JURE CIVILI.

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD A. FONTEMOING, BIBLIOPOLAM
4, VIA DICTA LE GOFF, 4
MDCCCXCVIII

MEMORIÆ MATRIS DULCISSIMÆ

CAPUT PRIMUM

DE LAZARI BAYFII VITA

Ægidius Menagius, qui in scribendo libenter a proposito suo digreditur, praesertim si stemmata attingat et ea quae ad domesticos annales attinent, vir quidem doctissimus insignique memoria praeditus, de hujuscemodi rebus haud spernenda sane indicia posteris tradidit. Quum avi sui materni Petri Ærodii, praeclari jurisconsulti et quaesitoris andegavensis, vitam latine conderet, in commentario, gallice scripto, quo opus completur, eos omnes quos Ærodius in provincia amicos habuerit percenset, in quibus et Janum-Antonium Bayfium, inclytum quidem poetam, et patrem ejus Lazarum annumerat (1), quem vocat « l'un des plus grands ornements de la province d'Anjou (2) ». Quod autem de ejus vita dicit, quamvis brevius, et auctoritate pretiosum est, et cum raris illius aevi quae supersunt testimoniis, et cum indicio manuscripto cujusdam Menagii aequalis, nomine Guillelmi Colletet, consentaneum. Postquam scilicet hujus auctoris manuscriptus liber « les Vies des Poëtes François » anno 1871 igne consumptus est, hujusce perditi operis manuscriptum exemplar quoddam a Bibliothecae nostrae nationalis

(1) *Vita Petri Ærodii... et Guillelmi Menagii... scriptore Ægidio Menagio*, Parisiis, 1675, p. 193-194.

(2) Ibid. p. 187.

curatoribus comparatum est (1), in quo de Lazari Bayfii vita paginas nonnullas invenimus. Quibus denique addere profuit, si quid utile occurrit, in variis notis quae Andecavi in bibliotheca municipali exstant, auctore seu Claudio Menardo (2), seu Livonnierensi (3), scriptoribus indigenis.

I

Lazarus Bayfius (non autem *Baifius*; nempe, quanquam contrarie asseverat Brunet (4), nomen ipse suum sic semper inscribebat), « ex antiqua stirpe », ut ait Sammarthanus (5), patrem habuit Joannem Bayfium, equitem, dominum loci Verneil-le-Chetif et Mangei in Cenomanis, et matrem Margaritam Castaneam, Guydonis filiam Rochaposei (6). Attamen, ut nostro Lazaro hanc originem plerique attribuunt, ita unus negat auctor, famam quidem in hujuscemodi quaestionibus haud parvam adeptus, scilicet Andreas Duchesne aut Quercetanus; cui si credideris, Lazarus non filius, verum nepos Joannis Bayfii exstitit (7). At ego Querceta-

(1) Bibliothèque Nationale, Manuscrits, Fonds français, Nouvelles acquisitions, 3073.

(2) Cl. Ménard, *Rerum Andegavensium Pandectae*; Bibliothèque municipale d'Angers, Ms. 875, t. I.

(3) Pocquet de Livonnière, *Histoire des Illustres d'Anjou*; ibid., Ms. 1068.

(4) Brunet, *Manuel du Libraire*, V° Bayfius.

(5) *Gallorum doctrina illustrium... Elogia, auctore Scaevola Sammarthano*, Augustoriti Pictonum, 1602, p. 14. Cf. Th. Cauvin, *Essai sur l'armorial du diocèse du Mans*, Le Mans, 1840, p. 15.

(6) Ménard, loc. cit.

(7) A. Duchesne, *Histoire Généalogique de la maison des Chasteigners*, Paris, 1634, p. 192.

num errasse opinor; quia Joanni et Margaritae uxori filiam, nomine Martham, fuisse constat (1), et Bayfius, in cap. V disputationis suae *De re vestiaria*, sororem ita nuncupatam se dilexisse retulit: « Est mihi soror Martha nomine, quae istiusmodi lanicio, velut altera Pallas, summopere delectatur, quae me istorum vermiculorum naturam docuit. » (De bombycibus loquitur).

Anni quo natus sit, nec veteres scriptores ullam mentionem faciunt, nec uni e recentioribus credendum esse puto, Lazarum anno 1490 vitam introisse volenti (2). Nonne enim et ipse nobis testatur se posterius natum, quippe qui, quum Cardinali Joanni a Lotharingia suum *De re vestiaria* opus, anno 1526 editum, dedicaret, se « vixdum triginta annos natum » dixerit? Natus est prope Flexiam, in castello de pinis vocato (gallice: *des pins*), non autem prope Andecavem in castello quod de pino nomen habet (gallice: *du pin*), ut inter Andegavenses nonnulli crediderunt, falso certe, si Menagio fidem adhibueris (3). Hodiernum domus illius statum non ita pridem scriptor quidam andegavensis descripsit (4).

Quod in opere cui titulus inscribitur « La Biographie universelle », auctore Michaud, Lazarus sacros ordines dicitur inisse, quisquis de Bayfii vita dein est locutus, hunc errorem secutus est, quem e quodam Bayfii loco, male quidem intellecto, Michaud hauserat. Si enim in

(1) Bibliothèque Nationale, Manuscrits, français, 30280, fol. 176.

(2) B. Hauréau, *Histoire littéraire du Maine*, Paris, 1870, t. I, p. 227.

(3) Ménage, loc. cit.

(4) P. Belleuvre, *Le Manoir des Pins* (*Revue de l'Anjou*, t. II, 1853, p. 209).

praefatione tractatus *De re navali*, Francisco regi librum suum auctor offerens, gratias ei effundit, quod « ab ejus vere regia liberalitate et sacerdotio auctus, et magistratu ornatus fuerit », his verbis beneficia ecclesiastica et abbatiarum fructus sibi concessarum certe tantum intelligit. Quin etiam in prooemio opusculi *De re vestiaria*, Bayfius juridica studia se, invitum quidem, juvenem amplexum esse nos edocet, eaque tenaci, ut ita dicam, odio consequitur, non tam quod sibi fastidium attulerint, quam quod a graecis scriptoribus legendis et colendis se averterint : « Porro autem utriusque linguae elegantiarum sectatores, qui ista mea legere non gravabuntur, oratos velim, primum ut mihi asseveranti credant, me meliores aetatis annos in ediscendis Accursianorum ineptiis, potius quam Ulpiani aut Pauli responsis, de non satis eruditorum amicorum consilio, consumpsisse : quorum barbaries ingenium mentemque meam infuscavit : quibus dediscendis non minus mihi fuit negotii, quam in ediscendo ad verbum aut Platone, aut Demosthene, aut simul utroque .. »

Perfectis studiis, magistratum obtinuit, invitus denuo, ut videtur, nam in fine ejusdem libelli *De re vestiaria*, « rabularum altercationes, quibus audiendis in suprema Parisiorum curia tempus triverat », quasi respuens commemorat. Chartis autem molestis litium non diuturne impalluit. Mox eundi Romam, amico comitante Christophoro Longolio, « ad capiendum ingenii cultum », ut ipse ait, occasionem non sine magno gaudio arripuit. Testis insuper Longolius, ad Budaeum paucis post annis scribens : « Lazarus Baifus, quem in isto comitatu frequentem jam esse scribis, is est quem

tibi olim graece commendabam. Adolescens nostrarum artium studio mihi tum quidem conjunctissimus, sed nunc valde lautus qui gravetur ad me scribere. Parum scilicet diuturno Aulae usu profecit, qui diligentiae urbanitatisque suae inter eos homines sit oblitus, apud quos ceteri, vel natura tardissimi, non impigri modo et humanissimi redduntur, sed nullo etiam majore negotio ad assentationem nonnunquam erudiuntur. Atque id in ipso eo magis sum miratus, quod quum una Romae essemus, praeclaras illas, quas tu in Asse tuo istiusmodi hominum generi descripsisti leges, ita probabat, ita te de iis laudabat, ita nunquam de manibus ponere atque conterere, ut ad earum omnino praescriptum istic victurus videretur. Ego certe eum praescripta illa tua jam explicare atque ita expromere arbitrabar, ut te, quo tum magistro utebatur, discipulum redderet. Extra jocum, mi Budaee, aut tu de rationibus ejus ad me aliquid mittas oportet, aut facias quidem ut ipse quemadmodum rem suam gerat nobis significet. Quum enim a te discessi, quem istic pluris faciam habeo plane neminem (1) ».

Cur autem Bayfius et Longolius ambo Romam peterent, a Ludovico Regio, Vitae cujusdam Budaei auctore, novimus. Budaeum Lascaris ita graecam linguam docuerat, ut de discipulo « quod olim de Tullio dixerit Apollonius », idem magister dicere soleret (scilicet id Lascaris verbum ipse refert Bayfius (2), cujus testimonium, ut « viri amplissimi atque eruditissimi » Regius

(1) *Christophori Longolii... epistolarum lib. IV*, Florentiae, 1524, fol. 81 V°.

(2) *De re vestiaria*, p. 2.

recipit) (1). Inde Longolius, adolescens antiquarum litterarum valde amator, Budaeum, ut ipsi quoque graecae linguae thesaurum aperiret, supplicibus verbis oraverat. Quum autem renuisset Budaeus, seque ut nimiis negotiis implicitum excusavisset, Bayfius, qui felicior Lascari magistro usus erat, tandem Longolium ad id consilii induxit, ut subsellia, se comite linqueret, Romamque properaret ad discendas graecas litteras, ut ait Regius, « ea praecipue causa ut Budaeum superaret, a quo acceperat repulsam (2). » Quo in conatu spes Longolii decepta fuit ; nam, quum, lapso quodam tempore, Budaeo graecas litteras misisset, ille eodem sermone « tam concinne et accurate rescripsit », ut Bayfius ipse amico irritam ac sine ulla spe aemulationem illam probaverit. Sed nec id Bayfio parum profuit quod Romae aliquandiu et ipse est moratus ; qui si Budaeum doctrina superare non tentaret, at saltem in graecis studiis operam iterum navavit, sine quibus tum erat nemo qui vere humana atque exculta ingenia exsistere posse existimaret. Scilicet cum eruditissimo quidem magistro saepius est versatus ; qua de re filium ejus testem habemus :

> Ce mien Pere Angevin, gentilhome de race,
> L'un des premiers François qui les Muses embrasse,
> D'ignorance ennemi, désireux de sçavoir,
> Passant torrens et mons jusqu'à Rome, alla voir
> Musure, Caudiot : qu'il ouït pour aprendre
> Le Grec des vieux auteurs, et pour docte s'y rendre :

(1) *G. Budaei viri clariss. Vita per Ludovicum Regium,* Parisiis, 1540, p. 2.

(2) Ibid., p. 13.

Ou si bien travailla, que dedans quelques ans
Il se fit admirer et des plus sufisans (1)...

Rhetymni natus, in insula Creta, Marcus Musurus in illo Quirinali gymnasio, a Lascari condito, quod non diu mansurum erat, graecas litteras edocuit. Hoc gymnasium Lascaris anno 1516 aperuit. Musurus anno 1517 interiit. Lazarum ergo nostrum inter primos illius collegii alumnos fuisse, e Jani-Antonii versibus notum habemus. Aliquot autem anni, quum Musurus obiit, jam, ut opinor, lapsi erant, ex quo Bayfius Romam venerat. Etenim Janus-Antonius patrem ibi « dedans quelques années » studuisse refert, et e Regii narratione Longolium, priusquam ad Budaeum graece scriberet, « quinquennium » Romae moratum esse novimus. Longolius vero Patavii anno 1522 mortuus est, postquam in extremo vitae tempore huc et illuc cursitaverat ; quae itinera quum circiter quinque annos compleverint, et totidem amborum amicorum studia consumpserint, eos Romam anno 1512 aut 1513 advenisse colligo.

De subsequentibus paternae vitae annis, ita Janus-Antonius loquitur :

Docte il revint en France : et comme il ne desire
Rien tant que le sçavoir, en Anjou se retire
Dans sa maison des Pins, non guiere loin du Loir,
A qui Ronsard devoit si grand nom faire avoir.
Le bon Lazare là, non touché d'avarice,
Et moins d'ambition, suit la muse propice :
Et rien moins ne pensoit que venir à la court,
Quant un courier expres à sa retraite court
Le sommer de la part du grand Roy, qui le mande,

(1) J.-A. de Baïf, *Epitre au Roi.*

Et le venir trouver sans refus luy commande.
Qu'ust-il fait ? Devoit-il au repos s'amuser
Où vivoit si content ? Pouvoit-il refuser
Son Roy qui le mandoit ? C'est un pauvre heritage
De cropir au sçavoir sans le mettre en usage.
Il se range à son Roy : qui ne le renvoia :
Mais l'ouït et cherit : et bien tost l'employa.
L'emploie ambassadeur aux Seigneurs de Venise (1)...

Qua in poetica narratione, Janus-Antonius, quod plura, non dedignanda quidem, negligens, ad honorificam illius vitae partem cito properaverit, reprehendendus mihi videtur. Et inprimis Lazarus, si auctori cuidam credendum est andegavensi, illo vitae suae tempore alumnis Universitatis andegavensis jus civile explicuit, et opuscula latina, quorum primum mox (anno 1526, mense martio), in lucem venturum erat, in civitatis scholis dictavit (2). Jam quidem ab anno 1524, nescio quid rumoris longe evaserat, Bayfium de antiquorum vestibus, non minore felicitate ac doctrina quam qua non ita pridem *de Asse* Budaeus usus erat, mox aliquid divulgaturum esse. Quod enim adolescenti cuidam, Patavii studenti, Erasmus ita nuntiabat : « Lazarum Bayfium gaudeo vehementer hoc praestitisse in vestibus, quod Budaeus in asse. Cumprimis autem exosculor hominis candorem cum exquisita conjunctum eruditione, quod inter litteratos rarissimum

(1) Ibid.

(2) « L'Université d'Angers ne le laissa pas longtemps dans cette solitude ; elle en fit un de ses professeurs en droit. Le Roy... l'envoya Ambassadeur à Venise... Ce fut là qu'il retoucha ses livres *De re vestiaria* et *De re navali* qu'il avoit dictés dans les écoles d'Angers. » Pocquet de Livonnière, loc. cit.

est. Sciebam laenam esse genus vestis, et suspicabar respondere χλαίνῃ, verum vitabam dictionem primum minus notam, deinde ancipitem. Penulam hybernam noverunt omnes. Mutabo tamen hunc locum ubi librum Lazari videro, quod equidem opto ut quam primum fiat... (1). »

Anno 1525, Lazarus apud cardinalem Joannem a Lotharingia, tanquam cliens et ejus familiae addictus, nobis occurrit. Quo de vitae tempore, ipse nobis aliquid documenti praebet. Quum omnia quae supersunt Lascaris manuscripta, vir quidam gente gallus, praeclara eruditione ornatus, nuper in Bibliotheca Vaticana recenseret, epistolam unam Bayfii Lascari graece scriptam reperit (2). Quam haec una diei mentio terminat, omisso anno : Ἐν τῷ Λουγδούνῳ νοβεμβρίου τρίτῃ φθίνοντος. De anno autem nil dubium, si modo legeris. Etenim Bayfius cardinalis Joannis a Lotharingia, jamjam in Hispaniam ad regem captivum profecturi, se assectatorem esse nobis exponit. Eum quoque Lascaris discipulum fuisse ex his ipsis litteris cognoscimus. Quem patrem suum vocat Lazarus, « quippe qui vitam sibi multo corporis vita pretiosiorem contulerit, seque ab ignorantia et barbarie vindicaverit. » Ex eadem denique epistola, Bayfium cardinali nuper addictum scimus, quo favente, et pecunia et otio, quod graecis studiis plurimum prodest, fruitur. At hercule ! bene est ; nam

(1) *Erasmi Opera omnia*, Lugduni Batavorum, 1703-1706, t. III, 806.

(2) *Ecole française de Rome. Mélanges d'archéologie et d'histoire*, 1886, p. 271-274 (Pierre de Nolhac, *Inventaire des manuscrits grecs, de Jean Lascaris*). Vide infra, p. 77.

per tres superiores annos, ne drachmam quidem se accepisse Lazarus confitetur, « quasi non modo Graeciae Graecisque id a natura esset indictum ut in paupertate manerent, sed et iis omnibus quibus graecae litterae cordi sunt quique eas colunt, eadem dura lex imponeretur ! » Ceterum, ut ait criticus de quo supra diximus, aequalis noster et vir sane doctrina ornatissimus, « recte quidem magistri veniam sibi Lazarus implorat, qui barbarismos, et male usurpata verba, et omni genere peccata effuderit. »

Num Bayfius in Hispaniam trajecit ? Non ita puto, nam paulo post regis Francisci captivitas finem habuit. Tunc Lazarus iterum in suprema Parisiorium curia magistratus, gallice « protonotaire » (1), factus est. Ex quo tempore, de antiquis vasculis dissertationem suam, jamjam in publicum exituram, nuntiabat. Nam anno 1528, Germano Brixio scribebat Erasmus : « Lazarus Bayfius dedit nobis elegantissimo libello genera vestium, brevi daturus vasa culinaria. (2) » Extremo hoc anno, ipsi Bayfio litteras Erasmus misit, e quibus manifestum est Lazarum Basileae libellum suum edi voluisse : « Si mavis istic edi libellum tuum de vasculis culinariis, eo quod adsis, et frons occipitio fit prior, probo... Ne pilus quidem vasculorum acceptus est, Scribam ubi recepero... (3) » Auctori nostro ejusque incepto favebat cardinalis. Etenim : « De vasculis amplector bonam voluntatem Reverendissimi Cardinalis » ; sic aiebat Erasmus, et addebat : « Gratulor tuis studiis istum

(1) Bibliothèque Nationale, Manuscrits, français, 3078, fol. 33.
(2) Erasmus, op. cit., t, III, 1120 B ; Cf. 1117 A.
(3) Ibid., 1064.

Maecenatem, non minus benignum quam potentem ; quem mihi tecum communem esse factum gaudeo. » Et Lazarus noster regis Galliae fit deinde Legatus, et Venetias mittitur, ab initio curriculi sic vel maximi momenti provinciam adeptus, et mirum ! rem suam gerens in urbe ubi et ipse Lascaris pro Ludovico XII publicis muneribus defunctus erat.

II

Joannes Bellayus in epistola quadam sic desinente : « De Londres, le XVe de juing », marescallo Monmorancaeo Bayfium, ut ad legationem apud Venetos bene gerendam magnopere aptum, commendabat (1). Quae sane epistola anno 1527 scripta est, quo Bellayum in Britanniam primo missum esse constat. At certe nos Lazarum eo quoque anno 1527 Venetias profectum esse suspicaremur, si Petro Bunello, qui Venetiis Lazari amanuensis fuit, credere possemus. Ille enim, quem quidem de re bene perspecta et cognita locutum esse censeres, Lazarum ab anno 1527 Venetiis degisse plane declarat, quippe qui, in epistola quadam, anno 1531 scripta, ita dicta quaedam Bayfii referret : « De discessu nihil certi se ante constituere posse, quam litteras e Gallia accepisset, et quoniam a voluntate regis haec penderent, fieri posse ut hic quartus annus quintum adduceret. » (2) Verum, id indicium quanquam haud ambiguum est, ad jussum quoddam Francisci I regis, in hujus temporis chartis expressum, minime quadrat,

(1) Bibliothèque Nationale, loc. cit.

(2) *Petri Bunelli familiares aliquot epistolae*, Lutetiae, 1541. p. 24.

e quo pecuniam Lazaro solutam esse videmus, pro munere debitam « depuis le 25 juin 1529, date de son départ... (1) » Bayfius in locum Joannis Langiaci, Abrincensis episcopi, succedebat. Venetorum dux tunc Andreas Grittus nominabatur (1524-1538).

Permultas, ut Legatus, epistolas Bayfius emisit, quas omnes nemo, ut opinor, ordine recensendas curavit. Hae sunt :


1° Septem centum viginti epistolae, quibus, a scriba quodam compositis, ne nomen quidem suum Legatus subscripsit (2). (Ex quibus quamplurimis quidem epistolis ducentae triginta duae ad regem missae sunt; centum nonaginta una ad Annam Monmorancaeum, Francisci I regis Archioeconomum ; viginti tres ad feminas aut homines vel regi proximos, vel eminentem in civitate locum tuentes : ad Ludovicam a Sabaudia, regis matrem, — ad dominum Vendocini, id est Carolum a Borbonio, patrem Antonii, regis Navarrae, — ad Navarrae reginam, — ad Ferrarae ducissam, — ad Albaniae ducem, Joannem Stuartum. Accedunt epistolae sive cardinali Joanni a Lotharingia missae, sive etiam variis optimatibus: Philippo Chaboto, supremo classis praefecto, — Antonio a Prato, Galliae cancellario, — Trevulsio Magno, Galliae marescallo. Nonnullae et Legatis quibusdam : Francisco Turnonio cardinali, Joanni Bellayo, Gabrieli a Grandimonte, Francisco Dintavillo,

(1) *Collection des Ordonnances des rois de France. Catalogue des Actes de François I*, Paris, 1887-1892, t. II, p. 430.

(2) Bibliothèque nationale. Mss. fr, 3941.

Parisiorum, Tarbarum et Autissioduri antistitibus. Ceterae litterae viris ex magna parte ignotis.)

2° Viginti epistolae quas Autissioduri antistiti, Francisco Dintavillo, qui tum apud Romanos regis Galliae personam gerebat, Bayfius scripsit (1) ; et hasce ipse obsignavit :



3° Undeviginti epistolae ad eumdem Dintavillum, a decimo die decembris mensis 1531 usque ad quindecimum diem januarii mensis 1533 scriptae (2). Quae epistolae insertae sunt in libro cui titulus est : *Meslanges historiques, ou Recueil de plusieurs actes, traictez, lettres missives, et autres mémoires qui peuvent servir en la déduction de l'histoire, depuis l'an* 1390 *jusques à l'an* 1580 (Auctore Nicolao Camusato, canonico, Trecis, 1619) (3).

4° Septem et decem epistolae regi et Monmorancaeo missae (quarum in nonnullis quaedam Bayfii sigilli vestigia supersunt) (4).

5° Epistolae nonnullae, aut regi, aut variis optima-

(1) B. N., Mss., Dupuy, 265, ff. 5-41 Bis.

(2) B. N., Mss., Dupuy, 547.

(3) Cf. Dintavilli responsa : B. N., Mss., fr., 19.750, ff. 14,75 V°, 102 V°, 144, 169, 181, 196, 226, 274 V°, 526 V°.

(4) B. N., Mss., fr., 20.503, ff. 72-111

tibus scriptae, quas in Bibliothecae Nationalis manuscriptis passim reperimus et in unum collegimus (1). Hae omnes litterae ad legationem apud Venetos cunctae pertinent, praeter unas, quae ad id temporis spectant, quo in Germaniam Lazarus Legatus missus est. (Quas novem epistolas, nostri auctoris publicae orationis specimen, in appendice invenire est) (2).

Multae ac diversae rationes ac diversa consilia tunc Venetorum animos distrahebant : odium in Gallos ; — junctae apud Cameracum, auspice Gallia, inter Venetorum hostes societatis memoria (1508) ; — pro clade apud Agnadellum modo accepta (1509) in Gallos iracundia ; — regis Francisci I reverentia, cui quanquam victo sed etiamnunc potenti atque opulento, praeterea pax Cameraci icta (1529) libere agendi magnam facultatem et copiam suppeditaverat ; — Imperatoris Germanorum timor, quo impulsi Veneti cum Gallis ipsis Coniaci foedus inierant (1526) ; — postremo Turcarum terror, qui Serenissimae Reipublicae tanta quidem damna posterius erant allaturi. Hunc terrorem praecipue Legatus noster observavit et notavit, nam sive regi aut Monmorancaco, sive Dintavillo scribit, de Turcarum exercitu et de ejus progressu plerumque mentionem facit. At, mediusfidius, id Venetiis, quum ibi Lazarus legationem gereret, omnibus in ore fuisse plane arbitror, et in quibuslibet rebus, quae omni ex

(1) B. N., Mss., fr., 2.985, fol. 88 ; 3.050, fol. 63 ; 3.096, ff. 68 et 131 ; 3.045, fol. 19 ; 3.081, fol. 26 ; 20.440, fol. 8 ; Dupuy, 726, fol. 47 ; Moreau, 774, fol. 195.

(2) Vide infra, p. 81 sqq.

parte Legatus audiebat, nil, ut opinor, minus simulabatur, nil minus falsum erat. Quapropter mihi errasse Lazarus videtur, quum hunc popularem ac communem Turcarum metum, per aliquam Senatus artem, quo inde populum facilius gubernaret, diditum esse suspicaretur. Etenim scribebat Dintavillo : « Monseigneur, je vous diray bien que l'on faict en ceste ville quelque demonstrance d'avoir paour de la venue du turcq, mais je me doubte fort que ce soit pour avoir occasion de tirer argent de leurs subjectz, et Dieu voulsist que ainsy fust ! » (1) At quomodo Veneti non expavissent, quando non ita longe sitam urbem Vindobonam formidolosi illi Ottomani jam oppugnabant? Lazarus autem, solus forsan in illo tumultu quietus, imminens ac crescens periculum, ut rem parum ad Galliam pertinentem, videtur inspicere. Quin etiam, quum Vindobonae obsidionem Solimanus dereliquit, Bayfius id aegerrime tulit. Haec Navarrae reginae scripsit : « Bien est verité, Madame, que par le present vous puys bien assurer que les affaires de la chrestienté se portent mal, puis que gens de bon sens et de bon discours vouldroyent que l'armee du turcq, laquelle est retiree du siege de Vienne, fust encores davant, et ce pour amoindrir l'ambition d'aulcun prince lequel songeant en la monarquye du monde, n'est encore voullu descendre à bonnes et raisonnables conditions de paix, qui seroyt une chose merveilleusement necessaire pour la conservation de la republique chrestienne (2). » Attamen et ipse Lazarus Turcas odit, verum ut christianus. Et in eos remo-

(1) B. N., Mss., Dupuy, 265, fol. 6.
(2) B. N., Mss., fr., 3941, fol. 49; Cf. fol. 48 V°.

vendos communem omnium populorum societatem optavisset, atque etiam potius id cupivisset, ut ceterae christianae gentes huic officio deessent, et soli Galliae milites, regis Francisci quasi alterius Petri Eremitae ductu, in ipsam Turcarum regionem sacrosanctum bellum inferrent (1).

Eo quod ad Turcas attinet omisso, Bayfius in epistolis suis apparet vir parum civilis, et a publicis negotiis paene alienus, utpote qui, (dum regi falcones (2), et Navarrensi ducissae auream vestem (3), et Dintavillo libros (4) exquirit, dum magum quemdam consulit, qui, cera fusa inspecta, futurum tempus praesagit, et cardinalem a Lotharingia papam fore pollicetur) (5) de multis gravissimis quidem negotiis taceat, scilicet de auxilio, quod a quibusdam Italis qui, Philippo Strozzio duce et auspice, rebus nostris studebant, exspectare licebat, et de clandestinis consiliis, quibus haec inquieta ac turbulenta civitas exagitabatur, regem aut Monmorancaeum admonere omnino negligat. Apparet vero praesertim tenax humanitatis et antiquarum litterarum amator, quem a dilectissimis studiis publica munera nusquam avertant! Quod et ipsi pernotum est, adeo ut de hoc peccato se excuset, quum ita Monmorancaeo scribit : « Monseigneur, si mon parler sent ung peu trop les livres, il vous plaira m'avoir pour excusé, car je y ay esté nourry et ne me puet garder d'en tenir un

(1) B. N,, Mss., Dupuy, 265, fol. 29 ; Cf. fr., 3941, fol. 62.
(2) B. N., Mss., fr., 3941, fol. 51 V°.
(3) Ibid., fol. 205 V°.
(4) B. N., Mss., Dupuy, 265, fol. 24.
(5) B. N., Mss., fr., 3941, fol. 50.

peu à l'aventure trop. » (1) Lazaro nostro graeca studia praecipue cordi : quippe qui in theologia versatum hominem (2), et alterum quemdam navium aedificandarum peritum (3), praeter propriam ae peculiarem utriusque in singulari arte solertiam, pro notitia graecarum litterarum, regi et cardinali commendet. Eum quum Lascaris memoria stimularet, cui in Orientem misso Laurentius Medicus manuscripta volumina emendi munus nuper dederat, cardinalem a Lotharingia hujus consilii quod iniit ita admonet : « Monseigneur, je vous ay fait sçavoir que sy le Roy vouloit despendre deulx mil escuz, je trouveroys bien façon de recouvrer de tres beaulx livres en grec et luy dresser une excellente librarie » (4). Et, ut ingenuum ac litteratum virum decet, non minus ceteras artes liberales quam litteras ipsas studio ac benevolentia prosequitur. Etenim quum Michael-Angelus Bonarrotius, e patria sua profugus, Venetiis clam degeret, Francisco regi, ut in arte virum praestantissimun, quique, si modo aliquam commendabilem sortem pollicitus fueris, in Galliam abscedere haudquaquam abnuat, eum designat et indicat. « Sire, ayant trouvé la commodité de ce gentilhomme qui s'en va en dilligence en Angleterre Ambassadeur pour le pape, n'ay voulu obmectre à vous ecrire par luy ces presentes, nonobstant que vous ays escript du VIII^{e} et XIII^{e} de ce moys, pour vous faire sçavoir que j'ay esté adverty que Michael Angelo excel-

(1) B. N., Mss., fr., 20503, fol. 106.
(2) B. N., Mss., fr., 3941, fol. 426 V°.
(3) Ibid., fol. 193 V°.
(4) Ibid., fol. 61 V°.

lent paintre, veoyant le danger de Florence, s'est retiré en ceste ville et ne se montre point, car il n'y veut pas faire sa demeure, et croy fermement que si on luy offre quelque bon party en vostre nom, il seroit pour l'accepter. Vous sçavez l'excellance du personnaige en son art; s'il vous plaist le retirer en me le faisant sçavoir, j'en ferai mon effort et ce pendant n'obmectray de chercher le moyen à le practiquer, estant asseuré que ce faisant vous feray service, qui est la chose du monde que plus desire (1). » In hoc etiam consilio Bayfius perseverat : etenim Monmorancaeo eodem ipso die idem scribit; et, paucis post diebus, iisdem idem exponit ac proponit (2).

Attamen vir ille, animo quidem excelso, non sui sane et rerum suarum est incuriosus; nam, dum Galliae, et sui ipsius commodis utilitatibusque consulit; et multimodis sollicitationibus regem adurgens, ut sibi pecunia mittatur, multum querens quod ex iis quae acceperit nihil superfluat ac maneat, sed contra regia dona sumptus domestici longe superare soleant : « se ad ruinam et excidium quotidiano victu adduci; nam praeter viginti quinque homines quos de solito alendos habeat, multos hospites domi se accipere solere; et cibum et vinum Venetiis constare maximi (3) » dictitans. Quibus in curis humilioribus, avaritiam nullam reprehendas. Nam qui illis muneribus ornati erant,

(1) Ibid., fol. 44.

(2) P. Marchegay, *Lazare de Baïf et Michel-Ange Buonarroti* (*Revue de l'Anjou et de Maine-et-Loire*, t. I, 1852, 2e partie, p. 374-379.)

(3) B. N., Mss. fr., 3.941, ff., 50, 79, 86 V°, 215.

utqui multam pecuniam profundere cogerentur, haud semel regiam liberalitatem necessario implorabant. Non irritae quidem Bayfii rogationes : quippe cui stipendium, non ita opulentum, at vero iteratum et renovatum, missum fuerit (1). Insuper et abbatia Granateriae, in ecclesia Lucionensi, donatus est (2).

Bayfii neque publica munera, neque studia ipsa, (quanquam Basileae, anno 1531, *de Vasculis* libellum edidit (3), totum tempus sibi vindicabant ; scilicet in amoena illa et somptuosa urbe, non potuit quin et Legati et abbatis gravitati aliquid demeret, quod deliciis condonaret. Inde illi, haud quidem legitimus, filius natus ; qui deinde inter illos Galliae poetas annumeratus est, qui, Ronsardo duce, nostram poesim, ut ita dicam, auspicati sunt. Quo autem anno ipse natus sit, Antonius nos certiores facit, nos admonens se quadragesimum annum a mense februario egressum, « Caedem », ut ait, vidisse (4) ; quae quidem caedes nobis « la Saint-Barthélemy » intelligenda est ; igitur in mense februario anni 1531, e more priore, id est, e nostra consuetudine, 1532. Idem in alia carminum pagina nobis aperit se in ecclesia nomine « San Mose », quam « Saint Moïse » vocat, baptizatum fuisse, et bina praenomina se accepisse, propter quod duos habuerit

(1) *Catalogue des Actes de François Ier*, t. I, p. 650 ; t. II, p. 1, 39, 91, 153, 346, 430, 701 ; t. IV, p. 107 ; Cf. B. N., Mss., fr., 3.941, fol. 86 V°.

(2) *Gallia Christiania*, t. II, 1.431 ; Camusat, op. cit., fol. 145 ; B. N., Mss., Dupuy, 265, fol. 17.

(3) Bunellus, op. cit., p. 35.

(4) Baïf, *Œuvres*, éd. Marty-Laveaux, t. II, p. 460.

patrinos, « Justinian et Rincon » (1) ; quorum alter, Joannes Justinianus, e graeca et nobili stirpe ortus erat, et conspicuum et eminentem locum Venetiis obtinebat, alter Antonius Rinconus, qui, hispanus genere et vir militaris egregius, et e patria profugus, Francisco I valde placuerat, ejusque apud Solimanum posterius Legatus fuit (2). Haud raro ejus nomen in nostri epistolis inveninus ; qui cum nostro Bayfio ea consuetudine conjunctus erat, ut, quotiescumque Venetias adiret, Bayfii domum sibi domicilium eligere soleret (3).

Quod ad Antonii matrem pertinet, qui de Antonii vita quamdam mentionem fecere, eam nobili domo ortam esse nobis tantum perhibuerunt ; inter quos scilicet Sammarthanus « liberalis quaedam puella » ait. Et idem ceteri. Et Lazarus quidem de amoribus suis pudenter obticuit.

Antonius se duos annos natum et adhuc fasciis involutum Venetiis in Galliam transvectum esse nobis enarrat (4). Etenim, ineunte anno 1534 (annos computandi de more nostro), Lazarus ex Italia discessit. Ejus in vicem successit Georgius Selva, Vaurensis antistes. Ex omnibus epistolis quas Legatus Lazarus obsignavit, ultima septimo die februarii mensis scripta est, et ejusdem ipsius temporis, in publicis Venetorum chartis, nonnulla indicia, nondum in lucem edita, reperimus et collegimus, quae quomodo Lazarus muneri

(1) Ibid., t. I, p. *v*.

(2) *Catalogue des Actes de François I*er, t. II, p. 430 ; Camusat., op. cit., ff. 145-147.

(3) Ibid.. fol. 147 V°.

(4) Baïf, op. cit., t. I, p. *v* ; t. II, p. 203.

suo finem fecerit, et quanta de se desideria Venetorum principibus ipsis reliquerit, singulariter illustrant. Legatum, tanta urbanitate ac comitate ornatum, a se discedere aegre ferebant ; nam publici Venetorum Commentarii eum usquequaque ita egisse ferunt : « con molta satisfatione de ognuno havendosi veramente diporta cum quella humanità, gentilezza et dexterità che desiderar si possa da simel pari sui (1). » Id autem moris erat ut quodam dono unumquemquam Legatum discedentem Serenissima Respublica donaret. Lazarum vero Bayfium egregie habuerunt colueruntque. Nam postquam superior Legatus, Joannes Langiacus, Abrincensis episcopus, debita pro vino consumpto pecunia tantummodo liberatus fuerat (quod quidem ei, ut publicarum imperita fert oratio tabularum, concessum est ut laetus abiret, « acciò esse parta ben soddisfatto) » (2), cum Bayfio egerunt melius. Ille enim a Senatu primum quingentos denarios (3), accepit (4), quibus et quingentos alios Decem addiderunt (5). Et in ejus honorem, Gallus quidam, quem in carcere detinebant, est dimissus (6) ; et alium hominem navicularium, genere quidem Massiliensem, et in patriam redire cupientem, exauctoravere (7). Denique Venetorum apud Galliae regem Legato litteras miserunt, in quibus « Monsignor de Baif » eximiis laudibus ornabatur, et ei man-

(1) Archivio Veneziano, *Senato Terra*, t. XXVII, fol. 194.
(2) Ibid., t. XXV, fol 140 V°.
(3) Ducats.
(4) Ibid., t. XXVII, fol. 194.
(5) Ibid., *Consiglio dei X, Secreti*, t. IV, fol. 28 V°.
(6) Ibid., *Notatorio del Collegio*, t. XXX, fol. 101.
(7) Ibid, fol. 103 V°.

datum dederunt ut regi Franscisco et Monmorancaeo quanta dexteritate et prudentia munus suum Bayfius explevisset, egregiis sane verbis asseveraret (1).

III

Die septimo et decimo mensis novembris anni 1530, dum Lazarus Venetiis legationem peragebat, Franciscus rex eum in suprema Parisiorum curia Consiliarium clericum creaverat. Ut rediit, (septimo et vigesimo die mensis martii anni 1533, « avant Pasques », ut in veteri quadam charta legere est (2), id est 1534, more computandi novo), magistratum cepit. Sed ne de hoc adjectivo nomine « clericus » vano errore decipiamur, hos regios consiliarios, qui clerici vocabantur, Christi sacerdotes non necessario esse reminiscamur. Id sufficiebat ut eos tonsura notaret, nec ceterum civium corpore eximebantur. Attamen iis uxorem ducere non licebat. Iis matrimonium vetitum ac prohibitum optime intelligimus ex quodam rerum articulo quo huic consuetudini ac quasi normae occursum est, et Lazarus quamdam personam habuit. Nam initio mensis martii 1537 (m. n.), inter consiliarios clericos rex duos viros, quamvis maritos, collocaverat. Quod contra curia invecta est. Sed ne regi offenderet, Bayfium, Francisco utique gratissimum, elegit, qui, reverentia servata, de violata consuetudine eum admoneret. Quem in parvulo Delphinati oppido, nomine Cremieu, morantem

(1) Ibid., *Collegio Lettere*, 1532-1533.

(2) Archives nationales; X1A 1537, fol. 197 (Registre du Parlement civil. Conseil).

Bayfius convenit. Ad cancellarium res a rege delata; qui nominationem jam habitam delere se posse negavit, praesertim quum in gratiam cardinalis Bellayi, et domini Langei, ejus fratris, concessa esset, quos, ob multa in regem merita, nonnullis beneficiis sane dignos nemo esset qui non aestimaret. Curiae, cum solenni pompa habitae, infaustum incepti exitum Bayfius renuntiavit, et hujusce rei in edictorum codice suorum mentionem fieri Parlementum jussit; quae res sic ad nos pervenit (1).

Paulo post, Bayfius Libellorum supplicum magister in Regia factus est. Nam inter carmina, quae anno 1538 poeta quidam, nomine Vulteius, edidit, hoc epigramma « ad Lazarum Baiphium » reperimus, in quo ad novum Lazari munus alluditur :

Libros, Lazare, Galliae dedisti,
Pro libris tibi reddidit libellos.
Hanc quis sat tibi reddidisse credat (2)?

Optime Vulteius. Nam hoc libellorum magisterium haud semel, id temporis, in mercedem eruditionis hominibus donatum est. Jam ante, propter suam sermonis graeci disciplinam, Budaeus eadem dignitate praeditus fuerat (3). Et otia quae ex illis officiis supererant, sibimet in utilitatem Lazarus vertit; etenim in procemio secundae editionis *Thesauri Linguae Latinae*, quae quidem anno 1536 typis mandata est, Robertus Stephanus

(1) Ibid., 1.539, fol. 172.
(2) *J. Vulteii Rhemi Inscriptionum libri* II, Lutetiae, 1538, fol. 34 V°.
(3) *G. Budaei Commentarii Linguae graecae*, Lutetiae, 1548, p. 251.

inter prudentes temporis illius homines qui consiliis se ipsum adjuverint, Lazarum Bayfium nominat. Quod testimonium vel unum, me judice, satis est ad veram ac meram gloriam obtinendam. Hoc eodem anno 1536, septembri mense, dissertationem *De re navali*, Venetiis conditam (1), et tum cum duabus superioribus in unum corpus redactam, edidit. Et anno 1537, Sophoclis *Electram*, quam in gallicos versus verterat, hominibus dedit. Denique, eadem tempestate, Janum-Antonium educandum curavit, et optimis magistris paene balbum adhuc filiolum tradidit, quem latine ac graece docerent. Quam rem ab Antonio ipso cognoscimus; is enim magistrorum nomina nobis refert (2); qui quidem magistri Carolus Stephanus, « Lazari discipulus » ; et « doctus Bonamicus », Musuri olim alumnus (3) et postea Patavii latinarum litterarum professor; et Angelus Vergecius, graecorum operum scriptor librarius insignis, exstiterunt.

« L'année désastrée que Budé trepassa », ait Janus-Antonius, id est anno 1540, Lazarum Bayfium rex Franciscus Oratorem elegit, qui in concilio Noviomagi habendo se ipsum repraesentaret; quod Germanorum Imperator convocaverat, ut inter christianas gentes de religionis deque Turcarum rebus consuleretur; at hoc in concilio, si verum quaerimus, Gallia praesertim Imperatoris animo obversata est, in quam aliquid perniciei moliretur. Quo in itinere Carolum Stephanum, diligentem quidem sui assectatorem, et quemdam ado-

(1) B. N., Mss., Dupuy, 265, fol. 5 ; Cf. Camusat, op. cit., fol. 152.
(2) Baïf, op. cit., t. I, p. *v*.
(3) Erasmus, op. cit., t. III, 1370 A.

lescentulum, nobili genere ortum, vixque sedecim annos natum, quem Dux Aurelianensis de pagiis suis nuper emiserat, scilicet Petrum Ronsardum, secum Lazarus abduxit. In *Vita Ronsardi*, id Binetus notat, Ronsardum ex hoc itinere magnum quidem fructum cepisse, utpote qui omnium disciplinarum capax ingenium jam haberet, quod et in assidua viri illius inter aequales doctissimi conversatione, usque ad unguem paene perfectum poliverit; et in eodem libri loco, a Germaniae hominibus vel eruditissimis, magis pro singulari viri doctrina, quam pro excelso ejusdem gradu, Lazari Bayfii societatem requiri animadvertit (1). In vicem Stephani, qui cum eo ipso profecturus erat, Antonio suo praeceptorem alterum Lazarus subjicere debuit. Et Jacobo Tusano eum tradidit, quem, si quando ejus memoria succurrit, « bonum Tusanum » in carminibus suis Antonius semper appellat. Et ille Tusanus graecarum litterarum studiosissimus amator ! Qui Budaeo amicus, cum ipso et Danesio e primis et doctissimis magistris fuit, qui in Regio gymnasio graecas litras docuerunt. Maio mense, Bayfius in Germaniam profectus est (2). Hujus itineris ad legationem gerendam initi, una tantum epistola superest, quam Hagenoae scripsit (3) ; quibus litteris certiores fimus, quanti momenti res esse crederet de quibus sibi mox cognoscendum foret, et quanti ponderis vir, Galliae Legatus, apud

(1) Cl. Binet, *Discours de la Vie de P. de Ronsard*, Paris, 1586, p. 6.

(2) *Catalogue des Actes de François I*, t. IV, p. 107; Cf. B. N., Mss., fr. 26.650, V° Baïf, pièce n° 4.

(3) B. N., Mss., fr. 3096, fol. 68. Vide infra, p. 90.

omnes esset, qui initio itineris jam a pluribus huguenotorum factionibus id negotium acciperet, ut quae rogarent et postularent, Francisco I transmitteret. Sed conventus ille posterius tantum congregatus. Et ejus sessionem Lazarus non exspectavit, nam ante annum exactum jam in Galliam redierat. Sed non paucas regiones prorsus inviserat, si quidem ex edicto regis rem aestimamus; quo enim edicto quamdam regiae pecuniae summam Lazaro rex subministrari jubet, ut « quos sumptus sive in Germania, sive in Romania fecerit, ii persolvantur (1) ».

Ab illo tempore, et in magistratus officia et in nati educationem iterum incubuit. Scilicet anno 1541 desinente, in asperrimo quodam certamine, quod Margarita a Francia, Navarrae regina, contra Erardum Grossolium, Condomi episcopum, sustinebat, Lazari nomen apparet. Et antistitem sibi venenum paravisse Margarita insimulabat, et hunc acri insectatione persequebatur; quin etiam, ad rem dijudicandam regem ipsum devocavit (2). Cui liti cognoscendae Lazarum rex praefecit. In menso januario anni 1542, Navarrae regina viro cuidam, filiae suae rebus praeposito, nomine Ezernay, scribit : « Vous sçavez comme le Roy a ordonné que MM. de Baïf et Bagie viendroient par deçà avec commission d'informer sur le faict de M. de Condom, et autres choses concernant le prouffict du Roy (3). »

(1) *Catalogues des Actes de François I*, t. IV, p. 155.

(2) F. Génin, *Lettres de Marguerite d'Angoulême, sœur de François I, reine de Navarre*, Paris, 1841, p. 371 sqq.

(3) Ibid., p. 380. Cf. Génin, *Nouvelles lettres de la reine de Navarre*, Paris, 1842, p. 196.

Quod iter haud scio an Bayfuis fecerit, nam in eadem epistola deinde regina queritur quod de judicialium procuratorum profectione nihil audiat; et mense maio proximo, iterum postulat ut Lazarus Bayfuis mittatur (1). Quidquid id est, eodem mense maio 1542, in Turonia Lazarum fuisse notamus, nam ibi regis nomine stipulationem quamdam eum contraxisse reperimus (2). Mense augusto anni 1544, Franciscus I eum in Occitaniam nostram misit, qui regalium praediorum res ordinaret (3).

Eodem quoque anno 1544, Joannem Auratum elegit qui in vicem Tusani apud filium succederet. Hic et Janum-Antonium et Ronsardum quoque ad humanitatem informavit. Nam Ronsardi, quem in Germania secum habebat, ingenium vel maximi Lazarus aestimaverat. Ronsardus antem octo annis quam Janus-Antonius major, non ita fuerat in litteris institutus ut Lazari filius; et ei jam in animo erat iterum litteris operam dare. Ad quam rem aggrediendam, ex ipsius patris morte, quae eodem anno 1544 accidit, magna libertas ei suppetiit. Praeterea ei domum Lazarus aperuit, eique permisit ut una cum filio Auratum quotidie audiret. Nam, ut ait Binetus : « Ronsard se déroboit de l'écurie du Roy, où il estoit logé aux Tournelles, pour passer l'eau et venir trouver Jean Dorat... Dorat demeuroit lors vers l'Université, chez le seigneur Lazare de

(1) Génin, *Nouvelles lettres de la reine de Navarre*, p. 212.

(2) C. Chevalier, *Inventaire analytique des Archives communales d'Amboise*, Tours, 1874, p. 11.

(3) *Catalogue des Actes de François I*, t. IV, p. 668. Cf. B. N., Mss., fr. 26.650, V° Baïf, pièces n°s 6 et 7.

Bayf (1). » Inde initium habuit et Jano-Antonio et Ronsardo illa laborum consortio et studiosa aemulatio quae etiam in Coqueretico gymnasio duravit, quamque Binetus nobis tam vivide descripsit (2). Utriusque in discendo progressum pari industria ac diligentia Lazarus inspiciebat. Ita Lazari animo succurit ut Euripidis *Hecubam* in gallicos versus ipse verteret. Etenim quum in praefatione hujus tragoediae (quae mox in publicum edetur, scilicet anno 1550) regi verbis exponit qua ex occasione hoc opus attigerit : « Or est-il, Syre, que quelques jours passez me retrouvant en ma petite maison, *mes enfans*, tant pour me faire apparoir du labeur de leur estude, que pour me donner plaisir et recreation, m'apportoyent chascun jour la lecture qui leur estoit faicte par le precepteur de la tragedie d'Euripide, denommee Hecuba : me la rendant de mot à mot de Grec en Latin... » Ita Ronsardum juxta cum nato filium Lazarus habuit. Eos enim, quod ad amorem attinet, non segregabat. Et Ronsardum filium appellabat, sicut et ipse Lascarim patrem et parentem vocaverat. Res prorsus miranda et ad litterati cujusvis viri animum grate movendum aptissima! Quam quidem criticos adhuc fugisse judico. Attamen si ad poeseos nostrae historiam te referas, quanti est momenti! Etenim non id infitias ire potes, illud felix consortium ad ingenium Ronsardi informandum plurimam opem contulisse, quum futuro « Pleiadis » principi et duci maxime egregiae institutionis beneficium afferret, cum qua comitas et urbanitas una consociaretur! Adde quod

(1) Binet, op. cit., p. 9.
(2) Ibid, p. 10.

in Lazari Bayfii domo, quidquid venustiorum hominum aut in litteris inclytorum erat, Ronsardus convenire poterat ; nempe Lazarus Bayfius, quem Bellayus semper « Magnum » appellat (1), doctissimum quemque philologum, vel eos qui sive in versibus condendis, sive in antiquis recentioribusve litteris colendis inclaruerant, domum acciebat ; quo fiebat ut Academia quaedam, quae eum circumstaret, ut ita dicam, jam florescere videretur. Quae in tanto pretio erat, ut si quis Parisiensis Universitatis alumnus enituisset, honoris causa in Bayfii domum eum magistri ducerent. Sic enim narrat Henricus De Mesmes : « ...] J'estois bien veu parmy les premiers homes du temps, et mon precepteur me menoit quelquefois chez Lazarus Baïfius (2). » Interea Lazari Bayfii fama intra Lutetiae muros jam se non continebat, sed longius evaserat ; nam in fine operis sui *De Stemmatibus* inscripti, Johannes Bouchetus, Pictavus poeta et cognitor (gallice : *procureur*) Lazari nostri, ut qui libellorum supplicum magister esset, opem (propterea quod, regali tributo ob novum incipiendum bellum aucto, licet aetate provectus et octo liberis gravatus, vectigal nimium solvendum haberet,) hisce verbis imploravit :

Vous suppliant, treshonoré seigneur,
Qui des Latins et Grecs estes l'honneur,
Et des François aussi la perle fine,
Que la pitié de vous vers moy s'incline,

(1) Du Bellay (éd. Marty-Laveaux), t. I, p. 146, v. 10 ; t. II, p. 137, v. 13 ; p. 142, v. 7.

(2) Ed. Frémy, *Mémoires inédits de Henri de Mesmes*, Paris (1886), p. 137.

Et me veuillez de ce rolle effacer,
Et de l'emprunt entièrement trasser (1).

Undecimo die mensis aprilis anni 1547, Lazarus Bayfius inter octo illos libellorum supplicum magistros numeratur qui Francisci I exsequiis adfuerunt (2). Et ii omnes qui de Lazari vita aliquid retulerunt, eodem anno 1547 eum exstinctum volunt; qua de causa autem ita voluerint, nescio, nisi tamen ex quibusdam versibus Jani-Antonii id hauserint, quorum sensus, non ita quidem lucidior, non tamen mihi sic videtur interpretandus (3). Nec sicut Colletet anno 1551 Lazarum interiisse puto. Nam ejus secunda latinorum operum editio anno 1549, et *Hecuba* anno 1550, in lucem exprompta est; nihil autem in utroque opere invenimus, quo post mortem auctoris hoc aut illud in vulgus exiisse arbitremur. At intra annum 1550 nostri Bayfii interitum collocandum existimo, id est eodem anno quo in Ode quadam *Ad Calliopen*, de hac morte, ut de quodam recentiore casu, Ronsardus meminit :

Si les Dieux
Larmes d'yeux
Versent pour la mort d'un homme,
A ceste heure,
Dieux, qu'on pleure
Et qu'en dueil on se consomme !... (4).

Et in honorem patris hoc funebre epigramma composuit Antonius :

(1) J. Bouchet, *Les Généalogies, Effigies et Epitaphes des Roys de France... avecq' plusieurs autres opuscules*, Poitiers, 1545, fol. 142 V°.

(2) Ménage.

(3) Baïf (éd. Marty-Laveaux) t. II, p. 203, v. 15-20.

(4) Ronsard (éd. P. Blanchemain) t. II, p. 464.

Sopore sacro Lazarus Baifius
Dormit. Mori ne dixeris bonos viros :
Vixit, quiescit. Vivus est non mortuus (1).

Antonio si fidem adhibes, patris mors ipsum inopem reliquit. De Lazari fortunis nil certum babemus. Quidquid id est, rebus duabus, excellentissimis quidem, id est egregia disciplina, et praeclaro nomine, Antonium ditaverat. Etenim Antonio Bayfio Bellayus aliquid blandiri cupiens, nihil habet antiquius quam ut in eo quaedam paternae virtutis vestigia agnoscat et laudibus extollat (2). Quippe etiam Budaeum et Lazarum pares videtur existimare :

D'un grand Budé les uns diront la gloire,
D'un grand Baïf les autres chanteront... (3).

Necnon et Ronsardus ita sensit, qui in Odes *Ad Calliopen* versiculis Budaeo Lazarum aequiparat. Sic unicuique scriptori, Bayfium laudare volenti, Budaei nomen nunquam animo non succurrit; quasi ita fato comparatum esset, ut in epitaphio tantum hanc laudem Bayfius inveniret, quam vel adolescens optaverat, et quoad vixit, meo quidem judicio, tacita aemulatione persecutus est.

(1) *Carminum Jani Antonii Baifii Liber* I, Lutetiae, 1577, fol. 24.
(2) Du Bellay (éd. Marty-Laveaux), t. II, p. 142, v. 7-20.
(3) Ibid., p. 137, v. 12-13.

CAPUT II

DE LAZARI BAYFII LATINIS OPERIBUS

I

Lazari Bayfii latina opuscula in unum volumen redacta, quae Robertus Stephanus typis mandavit, nunc aperiamus. In prooemio primae dissertationis, *De re navali* inscriptae, Francisco I opus suum auctor dicat. Et regi, haud quidem intempestive, grates agit quod in graeca studia benevolum ipse se habuerit, et praesertim quod « exclusa Judaeorum superstitione, Judaeorum linguam Lutetiae Parisiorum vigere voluerit », et quod exercitui et simul rei navali operam impenderit. « Non rei navalis cura omissa... » Et revera, et in Gratiarum portu, et in illa ora maritima Britanniae minoris, quam Bayfius, auctore Caesare, Venetiam appellat, et denique Massiliae, magnis sumptibus naves, parvulas aut magnas, quin etiam triremes aedificandas rex curaverat. Inde Bayfio principis laudandi occasio : « Principes enim mediterranei nescio quo pacto rem nauticam (quod ad mare internum attinet) neglexerant, ad Oceanumque Britanniae animum solum intenderant. »

Quod ad dissertationis rationem attinet, novo et insolenti quidem consilio, tum quum de re navali disserit, Pandectas repetit ; ita ut de quodam Marcelli loco

(ubi jurisconsultus ille, *De Postliminii Jure* statuens, varia navium genera discernit), omnis ejus disquisitio defluat. Sic Lazarus « rem navalem » suam in quatuor inaequalia capita distribuit, quia Marcellus in quatuor partes temporum illorum naves diviserat, quas, ut scimus, *longas*, *onerarias*, *piscatorias*, et *actuarias* voluptatis causa paratas vocabant. Inde uniuscujusque navigii partes Lazarus distinguit, quas propriis peculiaribusque verbis utens, definit ac determinat. Et de unoquoque verbo, si quis auctor, vel latinus, vel graecus, id adhibuerit, scribentis locum e quo id ipse desumpsit, Lazarus expromit, et ita agendo Budaeum aemulari videtur, qui nuper in libello *De Asse* eamdem eruditionem prae se tulerat. Quanto autem labore hoc opus constiterit, sic nobis Bayfius ipse asseverat : « Evoluendi nobis omnes fuerunt qui exstant utriusque linguae authores, ut inde sumeremus ea quae ad navalis nostri et armamentarii ornamentum facere viderentur : in quibus sane colligendis et undique conquirendis non parum molestiae nobis fuit... » Et auctori, procul dubio, fidem adhibemus ; in hoc enim opere scientiam reapse conspicuam exhibuit ; nam ita ferebat tempus, quo maximo cum ardore antiquis litteris studebant omnes, et antiquitatem totam, ut sic dixerim, percensebant.

Hoc latinorum operum volumen nonnullis figuris adornatur, quibus antiquorum navium, (ut « rem navalem » nunc tantum attingam), effigies nobis repraesentatur ; quas imagines Godofredus Torinus, inclytus et solertissimus typographus, ut a critico quodam non

ita pridem demonstratum est (1), ligno insculpsit. Eas, ut quammaxime ad verum expressas haberet, inprimis veritatis studiosissimus, ex antiquis monumentis delineandas noster curaverat, et, ut ita res se haberet, hoc mandatum Dintavillo dederat (2). Attamen, in quadam ad legentes praemonitione, Carolus Stephanus nos admonet ut artificis sane, qui imagines retulit, non peritiae, sed diligentiae, diffidamus; tantum enim res, ut animadvertit, difficultatis et laboris habet, si marmora illa vetera, sine ullo peccato, quod ad veritatem attinet, referre et exprimere volueris! « Quas inspicies, ait Stephanus, inter legendum, in his opusculis passim depictas navium, vestium ac vasculorum figuras, Lector, eas scito cum ex antiquissimis monumentis, tum maxime ex vetustioribus illis marmoribus, quae etiam hodie Romae conspicuuntur, desumptas fuisse... Noli autem te tantam iis fidem adhibere, ut ad unguem effictas fuisse credas in ipsis marmoribus. Id enim non ignoramus, marmora, quantumvis antiqua, nonnihil interdum habere, quod artificis libidini, potius quam veritati, respondeat... (3) »

Cardinali Joanni a Lotharingia libellum *De re vestiaria* Bayfius dicat, ita et operis titulo et patroni personae alludens : « Quum diu multumque me sollicitum haberet hujusce mei libelli editio, non tam quod male-

(1) Aug. Bernard, *Geofroy Tory*, Paris, 1865, p. 196-201.

(2) Camusat, op. cit., ff. 149 V° et 152; B. N., Mss., Dupuy, 265, ff. 5 et 8; Dupuy, 260, fol. 171.

(3) Cf. Camusat, op. cit., fol. 145 V°; — Léon Dorez, *Extraits de la Correspondance de François de Dinteville, ambassadeur de France à Rome* (*Revue des Bibliothèques*, t. IV, 1894, p. 84-87).

volorum invidiam pertimescerem (quis enim sanae mentis huic labori meo invideat?) quam quod rei vestiariae, quam tracto, familiarem pestem, blattas scilicet et tineas, in hoc meum opusculum primo quoque tempore impetum facturas suspicarer : tu unus ex omnibus mihi occurrebas, qui ingenii mei mediocritatem non modo authoritate tua tueri et posses et velles : verumetiam tuae amplitudinis odore, multo magis quam mala illa aurea, quae et medica et citria dicuntur, hanc synthesim meam ab omni tinearum impetitione vindicares... » Cui cavillationi succedit eximia cardinalis laus, quem regis Francisci, « acerrimi ingeniorum aestimatoris » necessarium et de intimo amicum esse memorat. Denique legentium benevolentiam ac veniam sibi deposcit, et, si quid peccaverit, id se, Erasmi et Budaei sui more, postea resarturum esse pollicetur. Budaei memoria, ut videtur, menti ipsius infixa penitus inhaeret!

Ut in *Re navali*, laboris dispositionem a pagina Pandectarum quoque Lazarus mutuatur, e qua legem vel potius duas leges Ulpiani decerpit, quas in unum redigit et dissertationi suae praeponit. In priore Pandectarum lege (L. 23, ff., *De Auro et Argento legato*), varias vestium species, aut rerum illarum quae ad vestitum pertinent quaeque testamento legari poterant, Ulpianus enumerat, scilicet vestimenta *lanea*, vel *serica*, vel *bombycina*; — et deinceps *virilia*, aut *puerilia*, aut *muliebria*; — sive *communia*, sive *familiaria*. Et postquam vestium partitionem sic generatim juriconsultus effecit, eorum quotquot sunt nomina refert. Quum unamquamque appellationum illarum attendit Bayfius, in totidem

capita operis sui materiam distribuit. Quae alterius autem legis sunt (L. 25, *eod. tit.*), omisit, quae fere omnia ad cultum feminarum, aut ad luxuriam, aut ad munditiam attinent (nam ibi de feminis praesertim jurisconsultus curam habet.) Sed prioris legis commentarius non minus quam XXI capita continet, quorum nonnulla in opere ipso opuscula quasi distincta haberi possunt : exempli causa, quum de purpureo colore (cap. III), aut de toga (cap. IX) minutius disserit. Nec minus verborum ipsorum quam rerum antiquarum curiosus investigator, auctor noster, si qua occurrat occasio, vocabulorum vel recentiorum originem, dummodo antiqui verbi memoriam revocent, diligenter exquirit. Et aliquando, me judice, procedit longius; sic, quum vocabulum nostrum « hoqueton » nihil aliud quam graecorum ὁ χιτών esse contendit (1).

E secunda dissertatione, quae *De re vestiaria* habetur, naturali tenore, ut sentit Bayfius, tertia manat, quae est *De vasculis*. Itaque hunc ei alterum titulum addit : « Animadversiones in tractatum de auro et argento legato, per Lazarum Bayfium. » Nam in Pandectis, quidquid de vestibus legandis disseritur, sub hoc communi titulo : *De auro et argento legato*, a Justiniano comprehenditur (2). In variis legibus de hac re latis, ea nomina Lazarus seponit quae aliqua amplificatione digna existimat; ita de antiquis vasis (sive aureis, sive argenteis, etc), quamdam disquisitionem 62 paginis non minorem nobis offert, cum quamplurimis auctorum

(1) « Nostri rustici, vocabuli graeci vestigia retinentes, *hocheton* appellant, quasi dicas ὁ χιτών : alii *saye.* » *De re vestiaria*, cap. XII.

(2) ff. *De auro, argento... veste vel vestimentis... legatis*, XXXIV, 2.

locis; quo in labore ordinem quemdam haud facilius reperire est. Et in hoc, ut ita dicam, eruditionis flumine, conspicuum Budaei praeconium obiter excerpimus : « De quibus copiose simul et erudite G. Budaeus in libris de Asse et partibus ejus, quibus sane pereleganter rem nummariam, temporis injuria sic jactatam, ut nemo scire aut certe latine enuntiare posset quid haberet, suo ut dicitur Marte, nullis adminiculis constituit : quo sane nomine, illi potius, quam olim Gratidiano, statuae omnibus vicis statuendae sunt, et ad eas thus et cerei! (1) Opusculum « sine tutore, sine vindice » primum editum, deinde, in eo volumine quod anno 1536 a Rob. Stephano typis mandatum est, Antonio a Burgo, Galliarum Cancellario, Lazarus dicavit.

« Quum permulta (ut ait Bayfius), in libello *De re vestiara* potuissent dici, quae ad colorum varietatem cognoscendam viderentur apprime esse necessaria », tamen, quod hoc argumentum ab alio tractatum jam fuerat et elegantissime explicatum, « auctorem ipsum, a quo haec copiose lector desumat, libellis suis subnectit. » Inde, voluminis sui quasi clausulam, dissertationem invenimus sub hoc titulo : *Antonii Thylesii Consentini de Coloribus libellus*. Hunc Thylesium Consentinum, in antiquis studiis versatissimum hominem, nepotis Bernardini fama paululum obscuravit. Illius poemata habemus (quorum nonnullos locos inter suas *Delicias poetarum italorum* Gruterus inseruit (2). Et

(1) *De Vasculis*, p. 141 (ed. 1549).

(2) (J. Gruter), *Deliciae poetarum italorum*, Francofordiae, 1608, t. II, p. 1154 sqq.

ejusdem superest una tragoedia, cui titulus *Imber aureus* est, et commentatio quaedam *De Coronis apud antiquos;* et epistolae nonnullae (1), et denique *De Coloribus* ea disputatio, quae Venetiis, anno 1528, typis mandata est (2). Extremum hoc argumentum non physici aut rerum naturalium descriptoris, sed philologi more, tractavit.

II

Ut latina Bayfii opuscula recenserem, quem ordinem (in hoc volumine quod ea omnia continet) ipse instituit, et ego secutus sum. At non secundum hunc ordinem in lucem prius separatim edita fuerant. Itaque de variis editionibus aliquid addendum mihi videtur. Nihil enim clariore luce, ut ita dicam, et aequalium erga Bayfium sensus, et auctoris nostri famam illustrat, quam numerus ille et varietas multiplicium editionum quibus istiusmodi vigiliae latius propagatae sunt.

Primum exiit *De re vestiaria* dissertatio, Basileae, anno 1526, apud Bebelium edita, cum hoc titulo : *Lazari Bayfii viri doctissimi, annotationum in L. Vestis*, ff. *de auro et argento leg.*, *seu de re vestiaria, liber nunc primum typis excusus, cum indice haudquaquam poenitendo. Subjecta est et praefationi lex ipsa, qua facilius intelligatur quid in toto libro tractetur. Basileae, apud Joannem Bebelium an.* MDXXVI (1526) *Mense martio.* — (In-4; 64 pp., si praemissa et indicem exceperis).

(1) *Epistolae clarorum virorum,* Venetiis, 1556, ff. 111, 113, 114, 115.

(2) N. Toppi, *Biblioteca Napoletana*, Napoli, 1678, p. 32.

Quinque post annis, et tum etiam Basileae, curante Frobenio, typis mandabatur volumen quoddam, ubi libellus *De re vestiaria* iterum, et libellus *De vasculis* primum dabatur, cum hoc titulo : *Eruditissimi viri Lazari Bayfii opus de re vestimentaria ab auctore ipso diligenter recognitum. Ejusdem de vasculorum materiis ac varietate tractatus, antehac nunquam excusus. Froben. Basileae, anno* MDXXXI (1531). — (In-8 ; 79 pp., praemissis et indice exceptis).

Bina haec opuscula, ut cuidam placuit (1), Venetiis iterum edita sunt *per Jo. Ant. de Nicolinis de Sabio* (1535 ; in-8). Et insuper, alteram quamdam *Rei vestiariae* editionem, sine loci aut temporis indicio, Freytag in manibus habuit, et de ea sic existimat : « Quo tempore, quove loco editio haec (In-8 ; 81 pp., excepto indice et erratis) nitida et rara in lucem exierit, dicere non possumus, quandoquidem istius rei nec vola nec vestigium in libro ipso deprehenditur. Si chartae et litterarum spectaveris elegantiam, basileenses editiones longe superat ; in Germania tamen illam excusam esse facile crediderimus. Sine dubio editionum, quae unquam in lucem prodierunt, secunda, et ad archetypon basileense, apud Joan. Bebelium, 1526, in-4 impressum, typis exarata est. Colligimus id e verbis, quae quinque erratis typographicis subjiciuntur... etc. » (2) Neque vero illam editionem, de qua Brunet mentionem facit, neque hanc, de qua Freytag loquitur, usquam reperimus.

(1) Brunet. *Manuel du Libraire*, 5e éd., t. I, col. 711.

(2) F. G. Freytag, *Adparatus litterarius*, Lipsiae, 1752-1755, t. II, p. 1037.

Tres Bayfii tractatus, una collectos, primus Rob. Stephanus in lucem edidit, anno 1536 ; tum titulus est : *Lazari Bayfii Annotationes in L. II de captivis et postliminio reversis. In quibus tractatur de re Navali. Ejusdem Annotationes in tractatum de auro et argento leg. in quibus Vestimentorum et Vasculorum genera explicantur. Antonii Thylesii de Coloribus libellus, a coloribus vestium non alienus. Parisiis. Ex officina Rob. Stephani.* MDXXXVI (1536). *Cum privilegio Senatus.* (In-4 ; 168 et 203 pp., si praemissa et indicem exceperis). Quod corpus figuris nonnullis, ligno insculptis, exornatur.

Et anno insequenti, Basileae dissertatio *De re navali* typis denuo exarata est, at hac vice separatim, cum hoc titulo : *Lazarii Bayfii de re Navali Commentarius, in L. II de captivis et postliminio reversis : Liber varia eademque haud vulgari eruditione refertus :et ad omnem tam Graecorum, quam Latinorum historiam perquam utilis ac necessarius. Cui praeter dictionum ac rerum Elenchum, accessit locorum etiam, quicumque ex diversis cum Graecis tum Latinis autoribus, ab eodem vel citantur, vel explicantur, vel denique restituuntur, locupletissimus index. Basileae.* MDXXXVII (1537) (In-12 ; 162 pp., praemissis exceptis). Figurae autem quae in aliis editionibus reperiuntur, hic locum non invenerunt.

Eodem quoque anno et Basileae, apud Frobenium, prodiit in lucem nova harum disputationum collectio (in-4; 323 pp., exceptis praemissis), qua, nulla re addita aut mutata, Stephani editio parisiensis anni 1536 tantummodo renovatur.

Et idem bibliopola ejusdem collectionis alteram editionem (novo titulo et folio ultimo tantum ornatam, etiam in-4[ta] forma), anno 1541 edidit.

Verum, ex omnibus editionibus latinorum operum Bayfii, « optima et rarissima est editio quae Parisiis, apud Rob. Stephanum, anno 1549, in lucem emissa est (1). » (In-4; 152 et 176 pp,, omisso indice.)

Id notandum est, quod Lazari *De re navali* et *De vasculis* dissertationes a Gronovio in *Thesauro* suo collocatae sunt (2), dissertatio autem *De re vestiaria* in Graevii *Thesauro* inserta (3).

Insuper et libellorum illorum plura compendia habemus, quae omnia a Carolo Stephano facta. Cujus consilii et ipse nos admonuit : « Cum enim audiret nonnullos conquerentes, quod Bayfius libris suis non aeque pueris atque eruditis consuluisset, visum est illi operae pretium, summam eorum, quae istis libris continentur, breviter perstringere, atque in ordinem disponere ex ipsius voluntate atque praecepto. Adjecit praeterea ea rerum antiquarum, quas descripsit Bayfius, nomina gallica, et nonnulla, quae Bayfius praetermiserat, inseruit, *nulla tamen auctoris*, ut in praefatione refert, *gravitate imminuta, sed tantum ex ipsius opusculis selectis iis, quae ad puerorum utilitatem facere videbantur.* » Hac vero de re, Stephanum furti accusare noli, qui primum id

(1 Freytag, loc, cit., p. 1.039. — D. Clément, *Bibliothèque curieuse historique et critique*, Gottingen, 1750-1760, t. II, p. 504.

(2) Jac. Gronovius, *Thesaurus graecarum Antiquitatum*, Lugduni Batavorum, 1697-1702, t. XI, col. 567 sqq; t. IX, col. 681 sqq.

(3) J. Graevius, *Thesaurus Antiquitatum romanarum*, Trajecti ad Rhenum, 1694, t. VI, col. 561 sqq.

opus auctore Bayfio se incepisse declarat, et in unaquaque, ut ita dicam, libri pagina Bayfium nominat ac legenti commendat. Etenim, ut ipse Sthephanus refert, Bayfius, quem « singulare saeculi litterarun ornamentum » vocat, « non solum id quidem pergrato et leni animo tulerat, sed etiam... tertium libellum duobus superioribus adjungi voluerat. »

Caroli Stephani compendia quamplurimas editiones habuerunt.

Initium nobis sit cum compendiis de re vestiaria factis.

Anno 1535, apud Rob. Stephanum typis impressus est *De re vestiaria libellus, ex Bayfio excerptus : addita vulgaris linguae interpretatione, in adolescentulorum gratiam atque utilitatem*. (In-8. Caroli autem compendia in-8a forma omnia exstant). Quae prima editio doctissimum virum fugit, qui quidquid librorum Stephani ediderunt, id, sine ulla omissione, numerasse et descripsisse se credere potuit (1). Id fateor, perraram esse hanc editionem, cujus adhuc exemplar unum tantummodo cognovi (2).

Eodem anno, secunda ejusdem libelli editio apud eumdem bibliopolam producta est (3). Et tertia, apud eumdem quoque, anno insequenti, quae falso in titulo *secunda* dicitur. Et annis 1541 et 1547, Rob. Stephanus duas ejusdem libelli editiones constituit, quarum alteram (nescio qua de causa) rursum *secundam*, alteram

(1) Ant.-Aug. Renouard, *Annales de l'imprimerie des Estienne*, Paris, 1843, p. 42.

(2) Bibliothèque Nationale, V. 36.011.

(3) Renouard, loc. cit.

autem *tertiam* appellat. Praeterea Lugduni, anno 1536, quum a Sebastiano Gryphio, tum a Simonis Vincentii herebibus, rei vestiariae compendii ejusdem editiones aliae exierunt.

Quod ad compendium de vasculis factum attinet, id opus annis 1535, 1536, 1541 (juxta cum compendio de re vestiaria) et 1547 Rob. Stephanus deinceps edidit. Quod idem compendium, Lugduni quoque, annis 1536 et 1539, et insuper, ut criticus quidam refert, Trecis, anno 1542 (1), prodiit.

Compendium de re navali Parisiis, anno 1537, typis ratum est, apud Franciscum Stephanum, cum hoc titutulo : *De re navali libellus, in adolescentulorum bonarum litterarum studiosorum favorem, ex Bayfii vigiliis excerptus, et in brevem summulam facilitatis gratia redactus. Addita ubique, puerorum causa, vulgari vocabulorum significatione.* Qui libellus, typorum pulchritudine eximius, octo imagunculis ornatur. Idem volumen Lugbuni 1537 et 1540.

Denique, ut nihil omittatur, tria illa Car. Stephani compendia, in uno corpore, anno 1543 apud Rob. Stephanum, et anno 1553 apud Car. Stephanum ipsum, edita sunt.

Haec vero tria Stephani compendia non secundum eamdem rationem ordinata. Nam, de re vestiaria, libellum suum in capita, sicut Bayfius fecerat, distribuit, eidem ordini tamen non parens. Nam dum quemdam Ulpiani locum Bayfius commentatur, et jurisconsulti rerum tenorem asservat, Stephanus (Ulpiano neglecto, utpote ab adolescentium disciplina alieno), in

(1) Niceron, *Mémoires*, t. XXXVI, p. 261.

decem capita opus suum dividit : I. *De tegumentis capitis* ; — II. *De vestimentis intimis*, etc. Quum autem rem vasculariam in epitomen coarctat, novam quoque ac propriam divisionem sequitur : varia vasorum genera distinguit ab illa materia e qua facta sunt, aut ab usu cui destinantur. Denique de re navali opusculum in glossarii formam redigit, diversa inter se et abcisa capitula legentibus sic offerens. Cuique capitulo suus est titulus. Ita libellus fit quasi lexicon vocabulorum omnium quae navalis rei sunt, et sive ad maritimas, sive ad fluviatiles naves pertinentium.

III

Jam quum Bayfii *rem vestiariam*, anno 1535, in adolescentulorum gratiam brevius redigeret et ordinaret, quosdam aevi sui scriptores furti, non quidem nominatim, Car. Stephanus incusabat, « qui, dum alienas vigilias in compendium aut epitomen redigunt, viris bonis laudem omnium praeripiunt, labores suffurantur : praesertim quum id suo nomini, nescio quo fato, attribuunt. » At quum, anno 1537, Car. Stephanus apud Franciscum Stephanum de re navali epitomen edidit, tum accusatio paulo lucidior evasit, et Stephanum Doletum, non nominans quidem, Carolus certe coarguit. Nam hinc inde « *Commentariorum lingua latinae* auctorem » carpit et exagitat. Unde haec in Doletum iracundia exarserit, paucis expediamus.

Die quadam mensis novembris anni 1536, Doletus (ut ipse narrat), Lugduni secundo suorum *Linguae latinae Commentariorum* tomo jam edendo totus operam dabat, quum ad eum allatus est a Christophoro Riche-

rio (qui et ipsius et Bayfii erat amicus) (1), *De re navali* liber, quem Bayfius nuperrime ediderat. Et jam ad rei navalis dictiones operis sui, nescio quo fato, Doletus devenerat, et hujus loci mendas corrigebat. Quae folia jam correxerat, Richerio Doletus commisit, qui Bayfio ea perferret. Quae Bayfio reddita. Ille quidem minime stomachatus est; tum eadem in Car. Stephani manus delata sunt. Hic vero, alienam causam statim suscipiens, ut ita dicam, debacchatus est.

Duplex Stephani insimulatio. Doletum enim et furti et ignorantiae simul condemnat. Id Doleto exprobrat, quod longos libelli Bayfii tractus, omisso auctoris nomine, desumpserit, et, uno vel altero vocabulo tantum mutato, « ne furtum palam fieret », contentus fuerit. Et Doletum, ubi Bayfium non diligenter quidem sit secutus, prae magna ignorantia in absurdos errores incidisse demonstrare conatur. Verumtamen, nullum argumentum suppeditat Car. Stephanus in quo prior accusatio nitatur. At vero Doleti ignorantiae et errorum nonnulla exempla affert. Id ei objicit quod extremas mali partes *cornua* esse crediderit, « utqui Bayfium male legerit » ; — et Hirtii locum Caesari adscripserit, « quum alioqui certissimum sit, apud Caesarem nunquam hunc reperiri posse » ; — et falso quidem *remulcum* parvam scapham, qua grandiores naves pertraherentur, esse existimet ; — et aliquem barbarismum proferat, id est verbum *remeculum*, quo Lemnium navigii genus quoddam designari putet ; — et *ambatae* pro *epibatae* edat ; —

(1) Christophorus Richerius Thorigneus Seno, cubicularius Regius, et Cancellarii Franciae a secretis, qui opus quoddam *De Rebus Turcarum* apud Rob. Stephanum, anno 1540, edidit.

et verba attribuat Plinio, quae ab Ulpiano desumpta sint ; — et in hoc versu Æneidos referendo titubaverit :

Quot prius aeratae steterant in littore *prorae* (1),

sic pro *puppes*, *prorae* indocte subjiciens.

Haud mora : statim repugnat Doletus. Etenim hunc alterum *Commentariorum* suorum volumen non adhuc totum excuderat ; has paginas, quae ad navales quaestiones spectabant, repente arripuit, et in unum corpus separatim collegit, quod in publicum ejecit ; cujus titulus fuit : *Stephani Doleti de Re Navali liber ad Lazarum Bayfium. Lugduni, apud, Seb. Gryphium*, 1537. At huic opusculo quamdam ad Bayfium epistolam, copiosam et accuratam quidem defensionem, praescripsit. Qua in praefatione, ut in Car. Stephanum acri insectatione sese invehit, sic debitam Bayfio reverentiam sedulo observat. « Dolet mihi, ait, et vehementer quidem dolet, te, cujus et studiosissimus et observantissimus hactenus semper fui, sic in me nulla causa derepente commotum, ut, qui contra existimationem meam veniret, parare (dicam vel hortari, vel impellere?) inimicе volueris. Dolet itidem vehementer mihi, eum te emissarium in me delegisse (tu vero tuo me nomine aperte oppugnasses) de quo et optime sentiebam et honorifice ubique praedicabam. Sed tamen credere quicquam de te temere certe nolim : ac mihi potius velim persuasum, suapte illum sponte in me invehendi causam occasionemque quaesisse : nec te vel hortatore, vel impulsore ad tam aspera maledicta usum. Major mea est de tua tum prudentia, tum gravitate, tum moderatione aequitateque

(1) *Æn*, IX, 121.

opinio, quam ut in aliquam mali animi malaeve mentis suspicionem mihi venias. Itaque te omni prorsus vel odii, vel malevolentiae in me suspicione libero, et factae mihi injuriae judicem (quod tamen tui sit arbitratus) sumo atque constituo. Judex igitur mihi sedeas..... »
Postquam vehementer questus est de impetu in librum non adhuc natum facto, quidquid a Car. Stephano ipsi objicitur, obstinata mente perpendit. De priore (quae est furti) accusatione, ne minimam quidem inter opera similitudinem reperiri posse contendit; nisi vero quod in interpretandis navium nominibus, et in variis earum partibus describendis, eadem verba adhibere sibi necesse fuerit. Quid mirum, si in hujuscemodi libris conficiendis, ab antecedentibus multa auctor decerpserit? « Quod si id furtum appelletur... furti accusabitur Galliae nostrae lumen Budaeus; furti accusabitur Germaniae sempiternum decus Erasmus Roterodamus; furti accusabitur Angelus Politianus; furti accusabitur Caelius Rhodiginus; furti accusabitur Volaterranus; furti accusabitur Sypontinus; denique furti accusabuntur omnes quotquot Commentarios confecerunt!... »

Tum ad res ipsas devenit, in quibus a Car. Stephano ineptiae accusatur. De quibus se excusat. Quod ad *embaιas* attinet, Budaei opinionem secutus est. Quae Plinio (falso ut credit Stephanus) attribuit, in Rob. Stephani *Thesauro linguae latinae* antea Plinio attributa sunt. *Remulcus*, pro scapha, in quodam Plauti loco legitur; quo cum sensu in *Thesaurum* id vocabulum Rob. Stephanus accepit. *Remeculum* vero, et apud Aulum-Gellium, et in *Thesauro* Rob. Stephani, et in *Cornucopia* Sypontini (id est Nicolaii Perottii) invenitur. Caesar

pro Hirtio vulgo dicitur. Et quod attinet ad verbum *prorae* pro verbo *puppes* usurpatum, sic ferunt variae Virgilii editiones, ab Aldo, Colinaeo, Rob. Stephano, Seb. Gryphio emendatissime in lucem productae. Vocabuli *cornua*, sive per indiligentiam, sive per contemptum, defensionem omittit.

Praeterae Car. Stephanum ipse lacessit, et eum admonet ut latinitati attentius invigilet, qui *suum* pro *ejus* adhibuerit, et barbarismum admiserit, verbum *auctoritates* prave usurpans : « Addam hoc etiam obiter .. non ferendam mihi videri barbariem, quum *auctoritates* pro *exemplis*, vel *locis* appellat. »

Doleti defensio contra Car. Stephani accusationem praeclara est, et, meo quidem judicio, liti finem utique imponit. Etenim minime dubium est quin Doletum et Bayfium attente pervolventi, utriusque libelli, etsi eumdem titulum prae se ferunt, omnino dissimiles esse videantur. Et recte animadvertit Doletus, omnes qui de una re scribant, eadem vocabula crebro repetere cogi, et quasi in eodem verborum curriculo usque versari. Ergo male facit Carolus, qui Doleto crimini vertit quod cujusdam praedatoris aut imitatoris tantum partes egerit. Et contra, Doleti bona fides in eo lucet, quod in rei navalis suae praefatione, omnes Car. Stephani locos, ubi ipse arguitur, ex integro legenti repraesentat. Id mihi notandum quoque videtur, quod hi duo libelli ratione atque ordine inter se differunt, nam, ut Bayfius compositam quamdam commentationem effudit, ita in formam indicis opus suum Doletus coercuit.

Haec sunt Bayfii nostri opera latina. Quae, si ad

summam respexeris, pauca. In auctore nostro aestimando, sententiam his verbis Erasmus expromebat : « Ad docendum appositus, argutus esse mavult, ut videtur, et Atticus quam Ciceronianus (1) ». Hanc sententiam Erasmus verbosorum odio *Ciceronianorum* scripsit, veram quidem at potius tenue operum corpus quam orationem ipsam inspicienti. Nam in his rebus aridis et arduis, in opere sane ad docendum comparato, cuidam gracilitati et siccitati atticae Bayfius necessario obnoxius erat ; verumtamen, in praefationibus et exordiis, ciceroniana ubertas ei non deest. Quidquid id est, in breve spatium amplam scientiam exaggeravit. Ceterum inter doctissimos temporum illorum homines Bayfius annumerabatur, et unanimo consensu quanta doctrina ejus esset aequales omnes agnoverunt. Ejus igitur opuscula qui tantum legeret, Lazarum haud totum aestimaret. Nobis restat ut quanti aetatis illius homines eruditi eum facerent intelligamus, et qua consuetudine, Venetiis primum, dein in Gallia, cum horum eminentissimis fuerit, videamus.

(1) Erasmus, op. cit., t. I, 1012 A.

CAPUT III

DE LAZARI BAYFII AMICIS

I

Quo tempore ille Lascaris discipulus Venetias devenerat, urbs illa et opibus affluebat, et plurimis artium miraculis erat inclyta, et cultu eleganti urbanisque moribus eo magis nitebat, quod Patavium, ubi Universitatem suam Serenissima Respublica collocaverat, cum Venetiis aliquid humanitatis suae communicare videbatur. Adde quod etiam tum florebat illa Aldorum domus, pretiosis voluminibus, quae excudebat celeberrima ; et ii libri, quibus antiquitas tota sensim reviviscebat, Bayfii nostri vel acrius quam Titiani ipsius opera amorem forsitan alliciebant ! Venetias, sub idem tempus quo Bayfius ibi morabatur, « Theatrum totius Italiae splendidissimum » Erasmus appellabat (1). Non dubium est quin homini graeci sermonis amantissimo, Graeciae ipsius proximitas, in urbe ubi dulce eloquium illud aures quotidie demulcebat animum magna voluptate pertentarit. Et studiis graecis et egentibus doctoribus quasi domicilium domum suam aperuit ; ita ut

(1) Erasmus, op. cit , t. III, 1483 C.

hanc Colletet sic appellare potuerit : « Le sacré temple des Muses et le favorable azile des sçavans incommodés. »

Inprimis quemdam juvenem tolosanum, nomine Petrum Bunellum, qui tunc Patavii in litteras incumbebat, ad se adscivit et quodam domestico munere sibi devinxit, propterea quod ejus latinae epistolae, pura ac sincera oratione conditae, ab eruditissimis viris requirebantur. Et eum, per ministerium jurisconsulti Reynoldi Chandonii, multis pollicitationibus invitaverat ; et epistolam habemus, qua Oratoris sollicitationibus Bunellus respondet (1). Is magno gaudio se quidem affici fatetur, et sortem sibi oblatam magnopere optabilem esse declarat, scilicet « vivere cum homine gallo... deinde cum Bayfio, id est, cum eo qui jam utriusque linguae cumulatam eruditionem consecutus est ! » Attamen dubius haeret. Non de paupertate sua loquitur ; quippe Bayfii liberalitatem sibi haudquaquam defuturam optime sentit. Sed, quum animi modestia, tum etiam pudor aliquis obstat. « Non esse prudentis hominis cujusquam liberalitate abuti. » Denique, ut verum dicam, se cogi, non cupere, vult videri. Bayfius vicit. Nam a Kalendis maii mensis anni 1530 Bunellum videmus apud Bayfium viventem. (In sua enim epistola ex tempore 2 Kal. octobr. 1531, Bunellus ait se Venetiis versari jam ab anno uno et quinque mensibus) (2). Quibusnam officiis ibi apud Oratorem fungeretur, ipse parum declarat. Forsitan scriba vel bibliothecae procurator fuit. Ei, quem

(1) *Petri Bunelli familiares aliquot Epistolae*, Parisiis, 1551, p. 9-11.

(2) *Ibid.*, p. 29.

Lazarus tantum « ung de ses familliers et domesticques » appellat (1), munia non adeo arcana Orator committit. Scilicet dum Romae versatur, eum senem at aegrotantem Lascarim pro se ipso salutare (2), et a Dintavillo navium imagines, quibus ad librum perficiendum sibi opus sit, reposcere jubet (3). Et Venetiis id praecipuum munus est Bunello, ut et latinae, et graecae, vel hebraicae linguae cum Lazaro studeat : « Do operam litteris hebraicis... Utor praeceptore Aloysio Grifalcone et Oratore... (4) » Nonne enim Erasmo Bayfius se *trilinguèm* esse velle scribebat (5)? At in his studiis, majorem temporis partem graecus sermo sibi vindicabat, deque eo praesertim inter se colloquium habebant; nobis Bunellus enarrat se, duce et auspice Bayfio, graecae linguae operam multam dedisse ; et quidquid otii Bayfio superesset, in iisdem studiis secum conteri solere : « Bayfius, ubi me litterarum graecarum admodum cupidum vidit, quum saepenumero eo audiente quererer, neminem Venitiis graece profiteri, hocque perincommode accidisse, respondit humanissime, se velle desiderio meo, praesertim tam honesto, subvenire. Inivimus itaque hanc rationem, ut hora noctis prima, dum is leni deambulatiuncula ad coenam se parat, ego aliquid ex Demosthene legam, ipse in vertendis Graecis animi causa se exerceat, facta mihi potestate, si quid velim, percontandi. Ad hunc modum Olynthiacas duas

(1) B. N., Mss., Dupuy, 265, fol. 14.
(2) Bunellus, op. cit., p. 66.
(3) B. N., Mss., Dupuy, 265, fol. 8.
(4) Bunellus, op. cit., p. 60.
(5) Erasmus, op. cit., t. III, 1369 F.

absolvimus. Qua die vero litteras tuas accepi, quum eas Legato, ut tibi scripsi, legerem, et ad eum locum pervenissem, in quo de oratione περὶ τῆς παραπρεσβείας, quam Lazarus (1) vertendam suscepisset, mentionem faciebas, dixit se velle, statim absolutis Olynthiis, eam quoque in manus sumere, ut ego ne in hac parte quidem vobis cederem, aut Lazarum desiderarem (2). Legatus Demosthenem non habet : quod facit, non tam sua causa, quam mea, facit : non quidem ut ludum aperiat, quod a dignitate magnifici viri alienum esset, sed ut animum a gravioribus curis relaxaret, ille quasi aliud agens, ludit in vertendo Demosthene. Ego vero illud unum ago et non vulgarem utilitatem ex ea re capio » (3). Et alios gallos Bunellus nominat, qui Venetiis graece quoque discebant, cum quibus, ut opinor, aliquam consuetudinem Lazarus non inire nequivit : scilicet comitem quemdam, nomine Gasparum, qui quum essset vir nobilissimus « non tamen ut galli homines a litteris erat abhorrens » (4); et « comitis nepotem » (5), cui cognomem a Camillo; et eruditissimum virum, Æmarium Ranconetum (6). Qui, quamvis praecipue juris civilis scientia excelluerit, graecis tamen litteris sese tradidit, librumque Xenophontis de graeco in gallicum sermonem convertit. Nec Æmilium

(1) Ibi Lazarum Bonamicum designat.
(2) Idem.
(3) Bunellus, op. cit., p. 13. Cf. Ibid., p. 52.
(4) Ibid., p. 58 .
(5) Ibid.
(6) Ibid., p. 78.

Perrotum, necessarium suum (1), Bunellus silentio praetermittit. Et si quis per Venetias quidam doctus vir gallus iter facit, eum hospitio excipit Lazarus, et, hac die, solitae « deambulatiunculae » hospes quoque fit particeps; cujus oblectamenti, exempli causa, Petrus Gyllius et studiosum otium et liberales delitias, in opere *De vi et natura animalium*, nobis sic adumbrat : « Quum enim Lazarus Bayfius, post praeclare obitam antemeridiano tempore legationem, aliquoties me ad littus Adriatici sinus duceret, ut piscium naturas exploraremus, quum alia pleraque periclitabamur, tum puerorum ludicram pugnam cum paguris in sicco repentibus spectabamus... (2). »

Graecos autem praecipua benevolentia Bayfius prosequebatur. Dionysii Zannetini, Zienensis et Firmiensis episcopi, exemplum in lucem edere operae pretium est; qui, quum disputationem de theologico quodam argumento composuisset (cui titulus : *Testimoniorum e Sancta Scriptura et SS. Patribus collectio de S. Spiritus a Patre et Filio processione*) eam librario scriptori cuidam rescribendam tradiderat; quod volumen nostra Bibliotheca Nationalis possidet. Huic manuscripto Zannetinus hanc dicationem, propria videlicet manu, praescripsit :

(1) Vide A. Samouillan, *De Petro Bunello Tolosano ejusque amicis*, Parisiis, 1891, p. 9 et 35.

(2) *Ex Æliani historia per Petrum Gyllium latini facti... libri XVI. De vi et natura animalium. Ejusdem Gyllii liber unus, de gallicis et latinis nominibus piscium*. Lugduni, 1533, p. 575.

Dionysius Graecus Episcopus Zienensis et Firmiensis Lazaro Bayf, Clarissimo et facundissimo Christianissimi Regis Oratori ad Illustrissimum Dominium Venetum, S. P. D.

« Olim fama et nomine tantum, nunc re etiam novi penitus ac perspexi, te virum undecumque laudatissimum graecis litteris (ut jam de latinis taceam) tam vehementer oblectari, ut nemo unquam vehementius. Argumento vero est quod ut primum me Graecum esse natione intellexisti, eo me vultu, ea fronte salutasti atque excepisti, quo solet amicissimus amicissimum, statimque an volumen aliquod ex Graecis eruditum, quo Latini careant, domi haberem interrogasti, cupiens et ipse, si quod hujusmodi opus mihi esset, videre, legere, atque aliquandiu frui, ut qui graecarum litterarum cupidissimus; semper enim est aliquid quod addiscamus, et, quo quisque plura addiscit, eo sibi pauciora scire videtur, quia plura semper addiscenda reperit. Ceterum quam sis etiam graeca litteratura praeditus profecto neminem latet; nam virtus, quum per se clara sit ac nobilis, in obscuro diu latere non patitur, sed erumpit statim ac in publicum prodit, ceu sol, jubar fulgentissimum, aliquod sydus. Quare libellum, de quo Excellentiae tuae superioribus diebus mentionem feci, nunc libenti animo exhibeo ac dedico... Accipe igitur, Orator clarissime, munusculum hoc nostrum ex animo quo ipse offero, sitque, obsecro, loco pignoris observantiae simul et amoris erga te mei perpetui ac sempiterni.

Vale. Venetiis, ex aede Sancti Sebastiani, die XVIII septembris MDXXXIII » (1).

In fine manuscripti, haec notula legitur : Ἐν Ἐνετίῃσιν, ἔτει τῷ ἀπὸ τῆς συγκαταβάσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ͵αφλγ', κατὰ τὴν λ' τοῦ αὐγούστου μηνός. Παρὰ Νικολάου Σοφιανοῦ. Quis autem hic Nicolaus Sophianus erat ? Graecus quidam pauperculus, qui in voluminibus rescribendis victum quaerebat ; ita ut eum, per jocum, *Grechetto* appellarent.

II

Dum Venetiis antiquarum litterarum studiosos homines humanissime domi accipit, cum unoquoque temporis illius eruditissimo epistolarum consuetudinem Bayfius habebat, hinc cum Italis, sicut Bembo et Sadoleto, hinc cum Erasmo Roterodamo commercium.

Sadoletus, ex quo Roma expugnata erat, urbem caede et incendiis vastatam, tanquam Musis quietisque studiis parum idoneam, dereliquerat, et Carpentoracte, cui diocesi episcopus praeerat, domicilium transtulerat. Bembus vero Patavii, aut in villa ab urbe proxima, morabatur (2). Quando autem cum Sadoleto arctissima amicitia conjunctus erat, ei commodum fuit, paratum habere aliquem qui secure et celeriter et litteras et libros amico transferre posset. Cui officia Lazarus libenter obtulit, qui id sibi felicitatati daret, quod, ut Legatus, talibus viris, quorum amicitiam expeteret, aliquid ita

(1) B. N. Mss., Grecs, 1305. Cf. E. Legrand, *Bibliographie hellénique*, Paris, 1885, t. I, p. CLXXXVIII.

(2) Vide Cian, *Un decennio della vita di P. Bembo*, Torino, 1885, c. IV.

proficere posset. In epistola quadam ad Sadoletum missa, quomodo Galliae Legati benevolentia usuri sint, Bembus expedit : « Ceterum quod postulas, ut perspiciam quorum fide et opera nostrae litterae commeare commode possint, id optime fiet, si tu, quas ad me litteras deinceps dabis, eas ad Lazarum Baifium, Oratorem Regis Galliarum, Venetias mittes, hominem et doctum et perhumanum, et utrique nostrum amicum, etiam si tibi minus fortasse est adhuc quidem cognitus. Hoc jam ipsum quonam modo facere apte possis, non est meum tibi praescribere. Puto tamen te Lugduni habere amicum aliquem vel hospitem, qui tuas ad Oratorem litteras accipiat, in quibus sit fasciculus tuarum ad me ipsum litterarum. Is observabit tabellarios regios huc venientes (est enim in ipsa via Lugdunum) eisque dabit. Ita belle negotium procedet (1). » Et Sadoletus huic consilio se plane assentiri respondebat : « Ego tamen in dandis litteris sequar institutum suum, ut Lugdunum mittam, unde Venetias postea perferantur ad Lazarum Baylium, Legatum Regis, hominem, ut ego quoque cognoscere videor, et doctum et perhumanum. Qui quum ad me prior scripsisset, non existimavi amicitiam petitis alte principiis et magno ambitu verborum conciliandam esse ; sed scripsit apertissime et familiarissime, ut ingenuae suae naturae illustre testimonium jam tum mihi dederit. Amo igitur eum, neque id mediocriter. Porro accedet corrollarium, mihi quidem non molestum, ut item ad illum semper aliquid dem,

(1) *Petri Bembi Card. Epistolarum familiarium libri VI*, Venetiis, 1552, III, 25, p. 101.

quo etiam meae ad te commodius ferantur (1). » Ex illo Bayfii cum Sadoleto commercio, nihil superesse videtur. At Bembi ad Bayfium epistolam habemus, junio mense anni 1530 scriptam, qua rem ad effectum celeriter venisse certiores fimus : « Mitto ad te dialogos aliquot meos, nuper quidem editos, verum a me partim juvene, partim etiam adolescente confectos : ut quantum te amem, ex hoc possis cognoscere, quod eos ad te venire volui prope nudos, qui de re vestiarià tam luculenter conscripsisti... » Manifesto agitur de latinis dialogis quos hoc ipso anno Venetiis Bembus ediderat (2). Insuper haec addit : « Mitto etiam eosdem alios, quos peto a te, ut per tuos tabellarios perferri mandes Lugdunum, desque negotium alicui tuorum vel amicorum vel hospitum, qui Lugduni sunt, ut eos mittant Carpentoracte Jacobo Sadoleto reddendos. Erit id mihi abs te supra, quam dici possit, gratum. Vale. III. Id. Junias, 1530. Patavio (3). »

Duas Bayfii epistolas, latine scriptas, quae nondum in lucem editae erant, Romae, in Bibliotheca Barberina, recentior criticus, doctrina praeclara ornatissimus, nuperrime reperit (4). Quarum prior Bembi rogationi nihil aliud est quam Oratoris responsum. « Nos vero, vir clarissime, quum tibi plurimum debere et fatemur et agnoscimus, tum etiam illi tuo collegae Jacobo Sadoleto, qui fortassis in causa fuit ut tu, quum ad illum veterem

(1) *J. Sadoleti Epistolae*, Romae, 1760-1764, ep. 129, t. I, p. 400-401.

(2) Cian, op. cit., p. 157.

(3) Bembus, op. cit., p. 260.

(4) P. de Nolhac, *Nozze Cian-Sappa-Flandinet*, Bergama, 1894 p. 303-307 : *Pietro Bembo et Lazare de Baïf*. Vide infra, p. 79-81.

amicum Dialogos tuos perlaturum iri cuperes, neque id ipsum commodius hoc tempore quam per nos expediri posse videres, nostram operam tam eximia statim non solum constituta, sed etiam praerogata mercede ad id praestandum conduceres... » In reliqua epistola, Dialogos Bembo gratulatur, quos, nisi auctor ipse fateretur, a juvene, nedum ab adolescente, perscriptos esse nemo existimaret. Et sicut Bembus, ad *rem vestiariam* alludit; sed verbum *vestiarii* exhibet, quo Ciceronianus ille vir haud scio an uteretur. Ceterum in hac epistola, præsertim in gratiis agendis, ab ea elegantia, quae in Lazari libris nobis placuit, oratio abhorret, quae adipata, et subobscuro sensu aliquando condita, legentis animum fatigat, nedum pellucida atque enucleata sit, ut Bembi Sadoletique lingua, et Romam ipsam redolere videatur.

In altera epistola, Bembo Bayfius nuntiat se mandato defunctum esse, et Sadoletum Bembo quoddam exemplar *Commentarii in Psalmum XCIII* misisse, quod quidem volumen semel ac iterum Lugduni annis 1528 et 1530 editum erat. Ceterum Bayfio ipsi alterum exemplar dedit, pro beneficio accepto tributum. Sic Bayfius : « Persolvit vectigal mediusfidius non minus gratum mihi quam si a Rege inaurarer! » In reliqua epistola, Lazarus apparet omnino felix et superbit quod eruditissimorum virorum coetu exceptus sit, quorum praestantiam optime sentit. Eum se multos fructus ex illo commercio habiturum esse profitentem audiamus : « Istis enim vestris lucubrationibus subinde permutandis missitandisque atque etiam lectitandis, sensim exuo et nationis barbarae et ignorationis nubeculam, in diesque singulos ad litteras capescendas avidior sum,

ne dicam capacior. » Exstat Bembi in responsum epistola. Suam Bayfio industriam Bembus gratulatur, et epistolae hujus elegantiam laudat, quam fasciculo addidit a Sadoleto ad ipsum misso. Et quum Lazarus de verbo *foenoris* lusit, ipse quoque addit aliquid : « Mandatum meum te curasse diligenter, valde gaudeo. Quid dico diligenter? qui non solum libros meos, quod unum abs te petieram, measque litteras Carpentoracte ad Sadoletum miseris : sed illius etiam liber, quo me is remuneratur, optatissimaeque litterae ad me ut perferrentur, curam atque operam adhibuisti : addito huic quidem foenori, quod mihi gratissimum est, etiam anatocismo; tuis scilicet ad me ipsum litteris; quibus omnino nihil essepotuit elegantius, nihil amabilius (1)... » Et Lazaro suadet ne ita modestiore animo jaceat : « Nam quod ais hoc te nomine scriptisque nostris legendis, quae uterque nostrum ad te misit, nationis barbarae scriptionisque nubeculam sensim exuere, agnosco humanitatem et lenitudinem tuam, qui, quum sis veteres illos optimos latinitatis magistros praeclare jam in scribendo assecutus, dicas tamen te de nostris lucubrationibus capere quo juvere. Sed de hoc deque reliquis litterarum suavissimis partibus, quum una erimus, quod erit propediem. » Praeterea de mandato sibi munere a Decemviris, honorificentissimo quidem Collegii decreto, XLV annorum rerum publice gestarum historiam conscribendi, Bayfium certiorem facit.

In primo capite nostro, ab Erasmo de Bayfio mentionem ab anno 1524 factam esse scripsimus, et eumdem ab

(1) Bembus, op. cit., p. 260-261.

anno 1528 Bayfio litteras misisse vidimus (1). Hoc eodem anno 1528, *Colloquiorum* auctor, laudum utique parcus, de Lazaro tamen in *Dialogo ciceroniano* suo sic sentiebat: « Superest Lazarus Bayfius, qui unico libello de Vestibus, eoque non magno, magnam laudem meruit, summamque spem de se praebuit, si quo coepit cursu pergat, in litterarum stadio (2). » Ex epistolis Erasmi exstat una, mense martio anni 1531 Bayfio destinata, quae Friburgi Brisgoiae scripta est (3). Qua cuidam Lazari epistolae, quae desideratur, Erasmus respondet. Ei Lazarus se Francisci regis Oratorem institutum esse significaverat. Hoc in responso, comiter sane nec tamen sine ironia quadam, Lazaro Erasmus gratulatur quod in tantis honoribus amicorum suorum non sit oblitus, et praesertim eum beatum aestimat, qui tali munere fungatur in loco ad studia tam idoneo, « in urbe, praeter alias innumeras felicitates, etiam viris eruditissimis ac bibliothecis locupletissimis florentissima! » Quum laetitia exultaret, junior noster Legatus se Venetiis « otium cum dignitate habere » professus erat. Compotem voti salutat Erasmus, qui contra, domesticis curis irretitus, hominem vere « negotiis absque dignitate addictum » se haberi posse putat. Ab omni superbia Erasmus abhorret; ei vero potius magna animi modestia inest et egregius quidem pudor, quum lepide jocans, se magnum appellari vetat: « Qui titulus, ait, haud quadrat in hoc corpusculum, minus in fortunam, minime in ingenium. » Et in hac epistola, videmus

(1) Vide, p. 12 et p. 14.
(2) Erasmus, op. cit., t. I, 1012 A.
(3) Ibid., t. III, 1369-1370.

inclytum illum Erasmum Lazaro nostro officia sua praestitisse ut Basileae apud Frobenium libelli *De re vestiaria* et *De vasculis* quam accuratissime excuderentur, et si quid macularum Lazarus admiserit, hanc negligentiam amanuensi Erasmus comiter attribuit, et emendat. Et quum de nonnullis principibus Venetis aliquid a Lazaro interrogaretur, quos ipse, quum per Italiam iter faceret, notos habuisset, Ægnatium praecipue laudat; hic autem eruditissimus vir Erasmi et Budaei fuit amicus; et in libello *De re vestiaria* aliquoties a Bayfio nominatur.

III

In Gallia autem tam multas et tam splendidas Bayfius junxit amicitias, et cum doctissimis viris versabatur. Res vel una nobis indicat quanti Bayfius noster haberetur, quantaque doctrina, etsi pauca scripserit, esset ornatus : cum Roberto Stephano in *Thesauro Linguae Latinae* conficiendo elaboravit; et illud quidem laboris consortium satis est ad veram ac meracam homini nostro laudem assignandam in illo doctorum virorum choro, quo antiquae litterae restituerentur. Et in secundae editionis (1538) *Thesauri* sui praefatione hac de re Stephanus ipse nos edocet. Nempe ab eruditissimis temporum suorum hominibus opem et auxilium se requisivisse fatetur : « A doctissimo quoque aetatis hujus quidquid in hoc commentandi genere annotasset, et poposcimus, et accepimus.... » Et eorum nomina in hunc ordinem digerit : Budaeum primum nominat, cujus longum praeconium facit; deinde Lazaro Bayfio et Jacobo Tusano paucis verbis luculentam mercedem persolvit. De Bayfio autem sic loquitur : « Navavit ope-

ram et Lazarus Bayfius, vir clarissimus, si quid enim obscurum et implicatum occurrebat, ille qua est humanitate, nobis aperuit et explicavit. » Quo insigni ac praeclaro testimonio, (quod non magis morti debetur quam perenne illud monumentum, cui praescriptum est), non periculum fit ne humanioris hominis memoria unquam aboleatur.

Commentarii Linguae Latinae Stephani Doleti, inter alias digressiones, quoddam caput perutile sane continent, in quo, quî fieri potuerit ut in variis Europae gentibus humanitas reflorescerct, auctor requirit. Ibi comparationem copiose explicat, quae quidem temporum illorum scriptoribus cordi est; « diuturnam et asperam abhinc centum annos cum barbarie et infantia colluctationem » enarrat (1) (cujus comparationis et sententiam et formam, in quodam capite libri cui titulum dedit : *Les Recherches de la France*, Stephanus Pasquierius manifesto imitatus est) (2). Gallicas copias Doletus recenset : quarum « primipilus » Budaeus exsistit. Veniunt deinde et Faber Stapulensis, propter odium sorbonicorum modo hoc in loco fortasse collocatus; — et Christophorus Longolius, ciceronianae elegantiae praestantissimus assectator, quin immo ciceronianorum virorum illorum veluti dux et princeps habitus ; — et Simon Villanovus, ciceronianus et ipse diligens, cujus doctrinam aequales laudavere (hic ille est, ut opinor, « doctus Villanovus » de quo Rabelasius loquitur) (3).

(1) *Stephani Doleti Commentariorum Linguae Latinae libri II*, Lugduni, 1536-1538, t. I, 1156 sqq.

(2) Pasquier. *Les Recherches de la France*, VII, 6.

(3) Rich. Copley-Christie, *Etienne Dolet*... trad. C. Stryenski, Paris, 1886, p. 29, not. 1.

Denique Doletus eos omnes enumerat « qui Budaeo comites se adjungunt », qui sunt : Joannes Pinus, Rivensis episcopus, Doleti patronus ; — Nicolaus Beraldus, qui rhetoricen Doletum docuit ; — Germanus Brixius, Altissiodorensis, Eleemosynarius Regius, qui in conficiendis latinis carminibus enotuit ; (1) — Lazarus Bayfius, quem Doletus, in altera eorumdem Commentariorum parte, « virum tum graece, tum latine doctissimum (2) » appellat ; — Petrus Danesius et Jacobus Tusanus, in graeca lingua ambo versatissimi ; — Joannes Macrinus et Nicolaus Borbonius, ambo latini poetae ; — Guillelmus Mainus, Budaei puerorum paedagogus ; — Joannes Vulteius, qui versiculos latinos aliquando caelavit ; — Orontius Fineus, mathematicarum et caelestium rerum studiosus ; — Petrus Gyllius, qui, rerum naturalium curiosus investigator, multas regiones adiit et descripsit. Inter quos, quot Lazari amicos notamus ! Imprimis Budaeus eminet, a quo Bayfius noster sic aestimabatur : « Lazarus Bayfius, utraque lingua doctissimus, ut scripta ejus testantur (3). » Christophorum Longolium recognoscimus, qui antiquarum litterarum amantissimus, Lazari comes fuit quum Romam peregrinatus est ; cum quo Bayfius, ut ipse ait, « graecarum litterarum studiis, veluti sacris, fuerat initiatus (4). » Et Christophori et Lazari Germanus Brixius amicus erat. In fine libelli *De re vestiara*,

(1) De hoc viro, vide J. Lebeuf, *Mémoires concernant l'histoire ecclésiastique et civile d'Auxerre*, Paris, 1743, t. II, p 502.

(2) Doletus, op. cit., t. II, 178.

(3) *G. Budaei Opera omnia*, Basileae, 1557, t. II, p. 81.

(4) *De re vestiaria*, in fine.

utriusque laudationem Bayfius expromit. De Christophoro, hanc sententiam edit : « Latine quidem loquendo nescio an habuisset parem neminem. » Et Germanus, eo judice, est « vir utriusque linguae studiosissimus, tum vero poeta felicissimus ». Et duo carmina, alterum latine, alterum autem graece, in Longolii honorem a Brixio compositum Bayfius transcribit. Germanus Brixius litterarum volumen, hodie sane rarissimum (1), reliquit ; quarum ultima, Ambasiae scripta, mense septembri anno 1530, Bayfio destinata est, qui tum Venetiis Legatus erat. Postquam de silentio diuturno quamdam excusationem praestitit, Brixius narrat se omni ope enisum esse ut quam pecuniam a Rege Orator depoposcerit, ea tandem illi concedatur. « Certe ut unum hoc dicam, tum ego apud cardinalem Turnonium, qui me apud se nonnulla gratia valere voluit, ac cujus item apud nos ea est auctoritas, quam tu in primis pulchre nosti, deprecatoris pro te partes sic suscepi, ut non ante precibus meis finem apud eumdem facerem, quam mihi ille affirmasset, studio suo curatam tibi esse pecuniam eam, pro qua Bellomontes (?) idem tum Regem, tum Cancellarium identidem me etiam teste praehensabat. » Et Bayfio laudi vertit quod tam excelsis muneribus ea praestantia fungatur : « Gratulor tibi vere, atque ex animo, istius legationis honorem : idque eo magis quod eamdem legationem a te non in ordinem cogi (ut in multis), sed magna cum dignitate tum tua, tum gentis nostrae administrari audio. » Adeo verum est, eruditissi-

(1) Unum tantummodo exemplar novimus, quod in Bibliotheca quae Mazarinea dicitur (nº 11.399) invenimus.

mum virum idoneum esse qui in qnolibet munere exercendo eniteat atque inclarescat! Quam rem non, ut par esset, reges intelligere videntur : « Antea quidem hominibus nostris ingenium tuum, ac doctrinam tum graecam, tum latinam tantum probaveras : nunc quum et industriam, et diligentiam, et rerum item usum tibi non deesse provinciae istius administratio declaret, quid aliud quam exemplo doces, vestra summe litteratorum virorum ingenia, generosis equis esse similia? Nam quemadmodum illi sarcinam melius gestare possint, quam ignava jumenta, etiamsi nemo imponat : ita eruditorum multorum ingenia sunt et ipsa functioni munerum in primis idonea, et jamsi raro usu veniat, aetate quidem nostra, ut iis munerum functionem rerum publicarum principes deferant,quod existiment eos non perinde aliis in rebus, ut in litteris, valere. » At inter omnes illas gratulationes, tamen nescio quae propriarum utilitatum cura eminet. Brixius enim Venetias redire gestit. Nam et Venetiis et Patavii (ubi, in domo Lascaris, Erasmum convenerat) (1) quinque annos manserat. Et patricios illos, cum quibus commercium Bayfius habet, optime novit, et id maximo gaudio ac voluptati sibi foret, si, ad rerum publicarum allevandum onus, Bayfio aliquid auxilii ferre posset : « Dii immortales! cur ego nunc non adsum vel istius honoris spectator (particeps enim dicere non ausim) vel laboris socius... praesertim qui istorum patriciorum mores, ingenia, instituta, jamolim quinquennali consuetudine notissima habeam. Neque vero optatius mihi

(1) P. de Nolhac, *Erasme en Italie*, Paris, 1888, p. 54.

quidquam, hoc praesertim tempore, quo tu istic agis, contingere possit, quam si per occasionem aliquam vel a te istinc, vel hinc a nostris subministratam, ad vos istuc redeundum mihi foret... »

Cum Jacobo Tusano et Petro Gyllio Bayfii commercium iterum non attingam. Restant Vulteius et Macrinus. Quoddam Vulteii de Bayfio epigramma, e volumine *Inscriptionum* excerptum, supra retulimus (1). Ejusdem alterum volumen qui *Epigrammata* inscribitur, duo disticha, ad libellum *De re vestiaria* spectantia, continet :

De libro Bayfi :
Romanas vestes docuit qui serica fila,
Vestibus est liber pellibus exiguis.

Et infra :

Gratia tam parvi non est ingrata libelli,
Perpetuum hoc solo nomine nomen habes. (2).

Macrinus autem, in quodam carmine, quod ad Guillelmum Bellayum, Langei dominum, dedicabat, et Bellayum illum, et Budaeum, et Longolium, et Simonem Villanovum, et Lazarum Bayfium in aequo cunctos ponebat ;

Nec vindicandis non mea contulit,
O docte Langi, Gallia litteris,
Squalore quae tetro situque
Marcuerant veluti sepultae.

Illa Italorum nam studii aemula
Te, Lazarumque, et Longolium tulit,

(1) P. 27.

(2) *J. Vulteii Remensis Epigrammatum libri IV. Ejusdem Xenia*, Lugduni, 1537, p. 47.

Magnumque Budaeum, ac Simonem
Villa cui nova nomen indit... (1)

Et antea, idem Macrinus in Bayfii honorem satis longum carmen composuerat, in quo ei ornatissimam sane (ne dicam ampliorem) laudationem impertiebat :

Ad Lazarum Bayfium supremae Curiae Consiliarium.

Lumen supremae, Lazare, Curiae,
Legationis munere regiae
Qui functus, aeternum reportas
Patribus a Venetis honorem :

Turbae imperitae barbara factio
Quid moliatur providus aspicis,
Quantoque conspiret furore
Artium in interitum bonarum.

Quod in patronum res te Heliconia
Sit nacta fortem, et vindice in manu
Tutere lorica trilicique
Ejus opes prope dissipatas :

De disciplinis ilicet omnibus,
Quas liberales jure bono vocant
Utraque de lingua sit actum, et
Parisiae studiis Minervae.

Atqui Herculano robore praeditus,
Pulchraeque adactus vi Sapientiae,
Consorte Budaeo, profani
Monstra domas furiosa vulgi.

Contra loquacem barbariem tibi est
Contentio acris, jugeque praelium,
Constanter hostiles retundenti
Ægida Palladia tumultus.

(1) *S. Macrini... Hymnorum selectorum libri III*, Parisiis, 1540, p. 77.

Damni quid et res necubi musica
  Defensor obstas, accipiat, vigil :
  Et luce librorum fugantur
  Cimmeriae tenebrae tuorum;

Civilibus tu lampada legibus
  Praefers coruscam, nubila discutis,
  Nodosque subtili latentes
  Mentis acutae acie resolvis.

Debet disertus causidicus tibi,
  Debet juventus, Lazare, gallica, et
  Si nosse cui curae est biremes
  Osa quibus pelago vetustas.

Hujus precamur propositi tenax
  Artes bonas ô more tuo fove :
  Sic Regis invicti favore
  Semper honorifico fruaris (1).

(1) *S. Macrini Hymnorum libri IV*, Parisiis, 1537, p. 83-84.

CONCLUSIO

Quid de Lazaro Bayfio sentiendum sit, nunc summatim expediamus. Ejus opuscula latina pervolvimus, quae, non ita magna, magnam tamen eruditionem prae se ferunt. At hominis major quam scribentis doctrina. Etenim Robertum Stephanum, ad unum opus absolvendum, adjuvit, et unanimis laudibus ab illius aetatis scriptoribus ita cumulatus est, ut Budaeum (egregiam sane laudem!) prope aemulari videretur. Sic in « Defensione et Illustratione gallicae linguae », Bellayus aequalibus « ces deux Lumieres Françoyses, Guillaume Budé et Lazare de Baïf (1) » in exemplum proponebat. Et propterea quod in hoc etiam judicio (ut in multis alioquin aliorum judiciis), proximum Budaei dignitati nomen Bayfii invenimus, nonne nobis licet summan existimationem de Bayfio una sententia inclusam sic proferre : Budaei Bayfius quasi in minus redacta fuit effigies.

Caeterum, quidquid Lazari stilus perpolivit, non habemus. Qui an latinos versus scripserit, nescio. Id vero asseverabat Fulvius Orsinus, quum libros recensebat, quos Vaticanae bibliothecae legavit : « Oltre le lettere vulgari, vi sono alcuni sonetti et versi latini di

(1) Du Bellay (éd. Marty-Laveaux), t. I, p. 61.

manu propria... del Baifio (1) ». At is errasse putatur (2). Et Bayfium Colletet refert plures Plutarchi vitas in sermonem nostrum transtulisse, quas Verderius in bibliotheca palatii Fontis Bellaquei stare dicebat. Num hoc opus Bayfius confecerit, quidam scriptores dubitarunt, non jure, mehercule, si modo manuscriptas Bayfii litteras pervolveris ; nam ille, dum est Venetiis, ad Monmorancaeum ita scribebat : « Monseigneur, j'avois presque achevé de translater les Vyes de Lycurgues et Numa. Mais comme estoit presque la fin, mon escripvain s'est débauché et s'en est alllé, qui m'a esté grand desplaisir. Toutteffois j'ay esperance d'en recouvrer ung aultre bientoust et vous envoier lesdictes Vyes parfaictes et accomplies pour les presenter au Roy, s'il vous plest me faire ce bien » (3). In iisdem litteris, quoddam indicium haudquaquam existimatione indignum nobis occurrit. Nam in epistola quae ad cardinalem a Lotharingia, quatuordecimo die mensis novembris anni 1531, scripta est, Lazarus de quodam opere a se confecto loquitur, de quo quidem nullus criticus, aut librorum temporis illius investigator, commemoravit : « Monseigneur, je vous envoye aussi un petit volume que j'ay faict de architecture avecques l'ayde d'un tres bon architecte qui est de ceste ville, affin que vostre bon plaisir soyt de le montrer au Roy, esperant que Sa Majesté y prendra quelque peu de passe-temps. (4) » Hic liber, utpote

(1) P. de Nolhac, *La Bibliothèque de Fulvio Orsini*, Paris, 1887, p. 395.

(2) *Ibid.*, p. 132, not. 3.

(3) B. N., Mss., Fr. 3941, fol, 139.

(4) *Ibid.*, fol. 215.

qui regi, oblectationis causa, ad legendum offerretur, gallice certe scriptus erat. Qui, utrum sine nomine auctoris, an sub falso nomine editus fuerit, comperire nequivi; et quis bibliopola eum vendiderit, item me praeteriit. Utinam quivis alius felicior me exsistat!

Denique duas graecas tragoedias in gallicum sermonem vertit. Non intra nostri laboris propositum erat Bayfium gallicum poetam aestimare. Sed animadvertere quonam tempore hae duae tragoediae in lucem apparuerint, alicujus momenti prorsus nobis videtur. Nam *Electra* anno 1537, *Hecuba* anno 1550, exierunt. Et anno 1552, *Cleopatram* suam Jodellus est docturus. Nonne igitur id jure profiteri poterimus, et Bayfium et eos qui, eodem animo instincti, in idem propositum conspiraverunt (nam eodem tempore et Salelus, et Buccetellus et Sibiletus tragoedias antiquas in gallicos versus transtulerunt) ad gallicam tragoediam suscitandam fortiores quidem adjutores fuisse? Nonne ex ejusmodi operibus, poetae qui postea floruerunt ad id consilium ineundum adducti sunt, ut tragoedias non ab antiquis desumptas deformarent, verum etiam propria ac vere gallica opera crearent? Bayfii igitur et ejus aemulorum conatu, jam in eo res est ut gallica scena praeclaram fortunam suam auspicetur: mox orientur Jodellus et Grevinus.

APPENDICES BAYFII EPISTOLAE

AUT NONDUM EDITAE AUT RARAE

I

EPISTOLA UNA AD LASCARIM GRAECE SCRIPTA.

A Monseigneur Mons[r] Lascaris.

Λάζαρος Βαΰφιος Λασκάρει τῷ πατρὶ εὖ πράττειν.

Πατέρα δή σε χρηστὸν οὐκ ἀπὸ τρόπου, ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖ, προσαγορεύω, τιμιωτέραν οὐκ ἔχων προσηγορίαν, ἐπεὶ τῆς γε τοῦ τεκόντος χάριτος μείζων ἡ παρὰ σοῦ χάρις ὑπάρχει· ἐγενήθην γὰρ ὑπ' ἐκείνου μόνον, ἐσώθην δὲ ὑπὸ σοῦ, ἐσώθην δὲ ὅσον ἐπὶ σοὶ ἐγένετο πάνυ φιλοστόργως, ἐξελλη(νι)σθεὶς, σοῦ μάλιστα σπουδάζοντος, ὁ πρὶν ἐγώ παντάπασιν ἐκβεβαρβαρωμένος καὶ δὴ καὶ ἀπαιδευσίᾳ διαλελωβημένος· καὶ μέντοι καὶ σφόδρα δέδια μὴ τάχα που σοὶ δοκῶ ἀχάριστός τις εἶναι καὶ βάρβαρος, οὐχ ὅτι τὴν φωνὴν ἀλλὰ καὶ τὴν διάνοιαν, ἐξ ὧν μὴ ἔφθην πρὸς σέ ποτε ἐπιστέλλων, καὶ τοῖς γε γράμμασι δηλώσας καὶ ὁμολογῶν ἣν ὀφείλω σοι χάριν. Τοιγαροῦν ἐμπεσὼν αὐτὸς εἰς αἰτίαν ἄφυκτον παραιτοῦμαι τὴν ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις ὀργήν καὶ δέομαί σου ὑφεῖσθαι αὐτῆς. Πρέπει γάρ σοι τὴν ἄλλην ἅπασαν ἀρετὴν ἐξαίρετόν τε καὶ ἀσύγκριτον ἔχοντι καὶ πρὸς ὀργὴν κρείττονι φανῆναι ἠγνωμονηκότος ἐμοῦ, καὶ τὰς ἡμετέρας ἁμαρτίας πατρικῶς ὑπομένειν, ἄλλως τε καὶ πάνυ εὐήθως καὶ ἀκάκως ὁμολογοῦντος καὶ ἐπὶ τοῦτο συγγνώμην αἰτοῦντος, καίτοι παρὸν εὐπρεπεῖ χρῆσθαι δικαιολογίᾳ, τοῦτο μέν ὅτι ἀῤῥωστίᾳ χρησάμενος, καὶ νὴ Διὰ ἀτυχίᾳ τῇ συντόνῳ, οὐκ ἠδυνάμην ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ πολλοῦ τινος ἄξιόν τι

πρός σε περί γ' ἐμοῦ ἐπιστέλλειν, τοῦτο δὲ ὅτι καὶ πάνυ βουλόμενος οὐκ εὐπόρησα λόγων ἐκ τοῦ παραυτίκα πρός ὑμᾶς ἀποπλεύσαντος τοῦ Λαγγηίου, ὥστε συγγράψαι ἐπιστολὴν τὴν Ἑλλάδα γε φωνὴν προιεμένην· τοῦτο δὲ ὅτι ἀεὶ ἦμεν ἡμεῖς οἱ περὶ τὸν Καρδινάλιν ἐν προσδοκίᾳ τοῦ ἀπᾶραι ἐπὶ τὴν Ἰϐηρίαν πρὸς ὑμᾶς καὶ τὸν παρειλημμένον βασιλέα· ὥστε ἀεὶ εἰς τὴν ὑστεραίαν ἀναϐαλόμενος, ὡς ἔοικε, τοῦ παντὸς ἐξήμαρτον. Ἔτι δέ πρὸς τούτοις· ἡμῖν δήπου παρὰ πάντα τὸν χρόνον ἐφιεμένοις ἀφορμῆς οὐχ ὑπῆρξε τυχεῖν, πλὴν ἐν τῇ τήμερον ἡμέρᾳ· Λαγγήϊος γὰρ μιμνήσκων ὤν αὐτῷ ἀπίοντι ἀπερισκέπτως ἠπείλησα τοῖς ἀγγελιαφόροις δὴ δώσειν τινὰ πρός σε ἐπιστολὴν, καὶ ταύτην ἐπιδοθησομένην σοι ὑπ' ἐκείνου, ἅτε δὴ αὐτῷ συστατικὴν ἐσομένην, νῦν μεγάλας ζημίας ἀπειλῶν κατὰ τοῦ ὑπερημέρου μου καὶ οὐχ ὑπακούσαντος, ψευδολογίας καταδίκῃ περιέϐαλεν ἡμᾶς· ὥστε, ὁρῶν ἀπαραίτητον ἐπικειμένην ἀνάγκην, ἔγνων ἐγὼ, οὐδ' ἥντινοῦν ἀναϐολὴν ποιησάμενος, διὰ τῶν ἐπιτυχόντων ὀνομάτων ἀπαγγεῖλαί σοι τὰ περὶ ἡμῶν ὅπως ἔχει, ὧν δὴ διήγησις, εἰ μήτι σοι χαλεπὸν ἀκοῦσαι, τοιαύτη τίς ἐστι· Καρδινάλις ὁ Λοθαρίνγιος, ἀνὴρ κάλλιστος καὶ μέγιστος, ἔτι δὲ παρ' ὁντινοῦν ἐμμελὴς ὢν τοῖς αὐλικοῖς ὁμιλῆσαι καὶ ἐν τοῖς πάνυ θεραπευτικὸς, οἰκουροῦντας ἡμᾶς οὐ πάνυ προσδεχομένους τοιοῦτόν τι μετεπέμψατο, σύνταξιν ἐνιαύσιον τελέσας ἡμῖν οὐκ εὐκαταφρόνητον, οὕτω δὴ φέρων τῇ αὐλικῇ περιεργίᾳ ἐμαυτὸν προσένειμον. Διὸ δὴ τὸ νῦν εἶναι ἐν τῇ τοῦ Καρδινάλεως θεραπείᾳ διάγων, τῆς ἡμέρας ὅσα μὴ αὐτῷ σύνειμι περὶ λόγους Ἑλληνικοὺς καὶ βιϐλία διατρίϐω. Ἴσθι μέντοι ἡμᾶς ἐν τῇ τριετίᾳ ταύτῃ μηδὲ δραχμῇ μιᾷ γεγονότας εὐπορωτέρους· τοιαύτη δὴ καὶ τοσαύτη δυστυχίᾳ ὡς ἔοικεν, χρῶνται οὐχ ὅτι οἱ Ἕλληνες, καὶ δὴ καὶ τλημονεστάτη ἡ Ἑλλάς αὐτὴ, ἀλλὰ καὶ πάντες ὁμοῦ τι τῶν Ἑλληνικῶν λόγων ἐρασταὶ καὶ περὶ τούτους ἐσπουδακότες. Ἔρρωσω καὶ εὐτύχει πάτερ. Ἐν τῷ Λουγδούνῳ νοεμϐρίου τρίτῃ φθίνοντος.

(*Bibl. Vat., lat.*, 4103, ff. 89-90.)

II

Epistolae duae ad Bembum latine scriptae

Clarissimo viro D. Petro Bembo,

Patavij.

Nos vero, vir clarissime, cum tibi plurimum debere et fatemur et agnoscimus, tum etiam illi tuo collegae Jacobo Sadoleto, qui fortassis in causa fuit ut tu, cum ad illum veterem amicum Dialogos tuos perlatum iri cuperes, neque id ipsum commodius hoc tempore quam per nos expediri posse videres, nostram operam tam eximia statim non solum constituta, sed etiam praerogata mercede ad id praestandum conduceres. Quo sane nomine illi privatim gratias agam; tibi autem polliceor ac recipio id quod postulas, primo quoque tempore me curaturum omniaque secundum legem conductionis sedulo facturum et, si quid in ea pratermissum sit, id nos etiam ex bono et aequo praestaturos. Quod porro scribis ipsos Dialogos partim a te juvene, partim etiam adolescente conscriptos, id vero, ut tibi plane dicam quod sentio, nobis permirum visum est. Ea enim verborum gravitate et copia sunt, ut eorum sermo nobis senior, ut ita dicam, visus sit quam aetas illa tua ferebat, neque solum senior, sed etiam ornatior et elegantior, quam ut paucorum vel annorum vel libellorum esse videri possit. Nihil igitur est, quod de nostro Vestiario ad illos ornandos sumere vel possim, vel debeam cui quidem ipsi non solum ornatus deest, verum etiam multa alia, quae in synthesi beati hominis inesse solent.

Sed nos quae potuimus pannosa ac lacera praestitimus magis ut pallatam turbam a frigoribus et calore tutaremur, quam ut hominibus ἐντειχ (1) trabeas et praetextas tunicasque lati clavi texere videremur. Vale. Quinto decimo cal. iulij. M. D. XXX. Venetijs.

Tuus ex animo Lazarus Baifius.

(*Bibl. Barber.*, XXXI, 43, fol. 192.)

*
* *

Al suo R^mo^ *Monsignor Pietro Bembo in Porcia, Patavij.*

Vides quam diligenter mandatum tuum curarim. Libellus tuus ad episcopum Carpent. perlatus est, nostroque jussu atque cura feliciter illi redditus, non minus gratus, opinor, quam solent ea omnia quae ab amicissimis proficiscuntur. Nec illi ipsi defuit, ut video, in quo remuneraretur te munere quam simillimo; μελέτας enim suas in Psalmum nonagesimum tertium tibi muneri misit. Quin etiam nobis volumen alterum, vecturae nomine quam te et auctore et conductore exercemus, persolvit vectigal mediusfidius non minus gratum mihi quam si a Rege inaurarer. Quid enim optatius mihi homini minime omnium cupido neque a liberalioribus literis abhorrenti potuit contingere, quam utrique vestrum eam operam praestare, quae vobis esset grata, ut video, mihi vero non facilis tantummodo, sed etiam et utilis et honorifica? Istis enim vestris lucubrationibus subinde permutandis missitandisque atque etiam lecti-

(1) Sic ait, ut videtur, pro ἔντεα.

tandis, sensim exuo et nationis barbarae et ignorationis nubeculam, in diesque singulos ad literas capescendas avidior sum, ne dicam capacior ; quod quidem ipsum omnibus omnium divitijs anteponere sum solitus. Vale ac mihi frequenter id genus negocij dato, quod minime operosum est maximeque nobis fructuosum. Iterum vale ac nos amare perge, subitariamque scriptionem boni consule, neque enim meditandi taedium ferre possum hoc tempore.

Tuus ex animo Lazarus Baifius.
(*Ibid.*, fol. 194.)

III

EPISTOLAE NOVEM SIVE AD REGEM, SIVE AD OPTIMATES GALLICE SCRIPTAE.

Sire, j'ay escript à Monsieur le Grand Maistre du XII^e de ce présent moys en chiffre touchant une lettre de créance, que le seigneur Rence m'a envoyée et ung gentilhomme nommé La Planche pour la me déclairer. J'ai renvoyé Pacquet Colon vers Monsieur l'Admyral en poste pour sçavoir son advis de ceste affaire. Je croy que mondit sieur l'Admyral vous escrira amplement de tout et de ce qu'il vouldra que l'on en face, parquoy ne vous en feray long propox et aussy que j'ay paour que les lettres tombàssent en autres mains. Sire, il est venu aujourduy nouvelles en ceste ville, que l'armee du turcq a prins Vienne et que l'empereur en a eu nouvelles.

S'il est verité, une paix universelle seroit bien necessaire entre les Chrestiens, et ledit turcq dechassé l'on pourroit chastier ceulx qui ont failly.

Sire, il est bruyt en ceste ville que l'empereur vient à Mantoue acompaigné de troys mil espaignolz pour sa garde.

Sire, je supplye le Createur vous donner tres bonne et tres longue vye. De Venize, ce XIII^e d'octobre.

Vostre tres humble et tres obeissant subject et serviteur,

LAZARE DE BAYF.

(*Bibl. nat.*, *Mss.*, *Fr.*, 2.985, fol. 88).

*
* *

Monsieur, pour autant que verrez ce que j'escriptz presentement au Roy, ne vous en feray aulcune repeticion, sinon de M. de Velly qui est arrivé ce matin de ceste ville pour aulcuns siens affaires, et il m'a dict que l'empereur doibt arriver demain au soir de Bassan, qui n'est pas loing de Padoue, et s'en venir droict vers Mantoue. Je vous pryeray, pour augmenter les obligations que je vous doibtz, estre intercesseur envers Messieurs du Conseil pour me faire deslivrer argent, car doresnavant il me fauldra entrer en plus grosse despense que je n'ay faict par cy devant, et s'il y a autre qui puisse pour vous pardeça ou ailleurs, en m'en advertissant je vous monstreray que ne veulx estre mis au nombre des ingratz. Qui me fera faire fin à la presente, après m'estre recommandé bien fort à vostre bonne grace, et prye le Createur vous donner en sancte tres

bonne et longue vye. De Venyze, ce XXX^e jour d'octobre.

Vostre entierement bon amy et serviteur,

De Bayf.

Monsieur

Monsieur de Villandry, Conseiller et Secrétaire du Roy en ses Grand Conseil et Finance, en Cour.

(*Ibid.*, 3045, fol. 19).

*
* *

Sire, pour ce que serez amplement informé par Monsieur de Sarnay de vos affaires depardeça, et aussi que le XXII^e de ce present moys en ay escript à Monseigneur le Grand Maistre par ung courrier despeché de ceste seigneurie, je ne vous feray long propox, sinon que, à ce que j'entendz, ces seigneurs (1) se font fors sur la mer et ont bien soixante dix galleres, et mesmement la quinquereme qui triomphe en legereté et dexterité autant qu'un cheval d'Espaigne au pris d'un roussin ; les dites galleres sont envoyees pour resister à Philipin Doria, qui estoit ces jours passez à Cyvitaveiche avec vingt deux galleres pour venir ainsi qu'on dit en ceste mer Adriactique. J'ay aussi entendu que l'ambassadeur du duc de Millan, messire Philippo Sacco, est party de l'empereur tres fasché et mal content ; le dit empereur s'est résolu de faire l'emprinse de Pavye, et Anthoine de Lesne a tyré du chasteau de Millan vingt

(1) Sic Bayfius (ut opinor, pro *Leurs Seigneuries*) semper scribit.

trois pieces, tant canons que doubles canons, pour ladite emprinse. Sire, ces seigneurs ont esté ung peu contentez de l'esperance qu'ilz ont eu la charge que avez donnee à Monseigneur l'Admyral, ausquelz ay dit à ce matin ce qu'il vous a pleu m'escripre touchant leur affaire, et m'ont faict responce qu'ilz n'ont jamais doubté du bon voulloir que avez vers eulx.

Sire, je supplie le Createur vous donner tres bonne et très longue vie. De Venyze, ce XXV[e] septembre.

Vostre tres humble et tres obeissant subject et serviteur,

Lazare de Bayf.

Au Roy,
Mon souverain Seigneur.

(*Ibid.*, 3050, fol. 63).

*
* *

Sire, nous fusmes hier, Ivelles et moy, vers ces seigneurs pour presenter les lettres de Vostre Majesté et ensemblement leur annoncer la certaine nouvelle de l'effectuelle delivrance de Monseigneur le Daulphin et duc d'Orleans, laquelle, à mon jugement, leur a esté tres agreable; et le lundy davant, environ midy, ces seigneurs, par courrier expressement despeché par leur ambassadeur estant vers Vostre Majesté, en avoient esté advertys et moy aussi, et me firent grant gratulation et caresse quand je fuz le mardy vers eulx. Il ne ma desceu que d'une chose, que leur prince, pour certaine maladie d'une gembe qu'il a, ne se peut trouver en leur senat, car il estoit à Moran, tout aupres de ceste ville,

et vous asseure que leur assemblee sans le prince est, ainsi que l'on dict en proverbe bressan, une compaignie de poules sans coq. Toutesfoiz pour satisfaire à luy absent, je luy ay envoyé soubdainement et en dilligence ung homme expres pour luy annoncer et congratuler les bonnes nouvelles.

Sire, tous cez seigneurs par leur visaige et parolle m'ont desmontré bon signe d'allegresse du recouvrement de mes dits seigneurs, mais ilz ne peuvent en faire publicque demonstration par feuz de joye et canonnemens que cela ne soit premierement concleud en pregay, et jusques a present n'ont rien faict de publicque. Le tout ira, j'espere, et aussi ay entendu qu'ilz feront grande demonstration de allegresse, mesme qu'ilz enveyront vers Vostre Majesté deux ou troys ambassadeurs pour vous congratuler de ladite recuperation. Au demeurant quelqu'un d'entre eulx qui s'estime de bon discours a quelque paour que de jour en jour ne se augmente l'amytié d'entre vous et l'empereur, principalement si ladite alliance est confirmee par gaige commung d'entre la Royne et vous, auquel gaige pourroit lon donner la Duché de Milan, et vous asseure que le duc de Milan, ainsi que j'ay entendu de M. de Loddes et de l'ambassadeur dudit Duc estant icy vers cesdits seigneurs, est en une grand peine et ne sçàit bonnement en qui se fier, car l'empereur lui a desnyé congé et licence d'envoier vers Vostre Majesté ambassadeurs quelconques fust, tant pour la mort de son frere que pour la congratulation de mesdits seigneurs. Mais je crois que Vostre Majesté n'en croira que le vraysemblable, car sondit ambassadeur est venu vers moy pour

me prier de faire ecrire vers vous, et croy que si l'escuyer merveilleux s'en va en France comme il dict qu'il fera de brief, il passera pas ou sera ledit Duc de Milan, et aura charge de luy de vous dire son intention.

Sire, si Monsieur d'Avranches est à la Court, il vous pourra dire ou bien Monsieur d'Isarnay, qui est un personnaige avecques lequel traicterent certaines capitulations à Veronne, lequel personnaige ne veult point estre connu et a grand desir de vous faire tous les sermens qu'il sera possible, et entre autres je croy que s'il vous plaist faire promesse de quelque grand benefice, il vous fera recouvrer le service du cardinal dont vous ay escript par cy-davant, et encorres quelque chose davantaige touchant les cappitulations que fist Monsieur d'Avranches avecques luy.

Sire, je supplie le Createur vous donner en santé tres bonne et tres longue vie. De Venize, ce XV juillet.

(*Ibid.*, 3.096, fol. 131).

Monseigneur, depuis mes dernieres lettres escriptes de ce (1)... jour, j'ay entendu qu'il se menoit quelque praticque affin que le comte Guido Rangon fut cappitaine general du duc de Milan, et, pour ne charger personne, je ne sçay bonnement si la praticque procede du duc ou du comte. Toutesfoiz pour ce que j'ay entendu d'un comme auquel m'avez commandé d'adjouxter foy, j'ay pensé faire mon devoir de vous en advertir, bien que je ne le croye que bien à poinct, car il le pence tant

(1) Charta deest.

de bon espeoir qu'il ne vouldroit point aller aux champs. Monseigneur, je vous envoye le double des lettres que j'y escriptes le XV^e^ de ce mois au Roy de paour que ne les eussiez reçues, car il me fault chercher divers moyens pour ce faire.

Monseigneur, je supplie le Createur vous donner en santé tres bonne et longue vie. De Venize, ce XVIII^e^ juillet.

Monseigneur, le comte Baptiste de Lodron et son nepveu le comte de Archo sont venuz vers ces seigneurs de la part de l'empereur, et les ay aujourd'huy festiez. Je croy qu'il y est venu pour son particulier, car il est voysin de Urcisse sur la conté de Tyrol.

Vostre tres humble et obeissant serviteur,

LAZARE DE BAYF.

A Monseigneur le Grand Maistre.

(*Ibid.*, 3881, fol. 36).

*
* *

Monseigneur, j'ay receu les lettres que vous et M. de Bellay m'avez escriptes le III^e^ de ce moys. Et quand vous plaira, je sçauray plus appertement vostre levant et ponent. D'icy n'entends aultre sinon que ces seigneurs ont fait responce à ce matin à l'ambasseur de l'empereur et secretaire du legat qu'ilz ne vouloient poinct mectre en la disposition du duc d'Urbin ne aultre le gouvernement de leurs gens de guerre, quant au secours

auquel sont tenuz pour la deffence de la Duché de Millan se aulcune emotion se faisoyt contre icelle. Et prye M. de Velly prendre en satisfaction la lecture des presentes, accompaignees de mes humbles recommandations à tous deulx. J'ay faict tenir les lettres a l'abbé d'Entremont, priant Nostre Seigneur qu'il vous donne en sancté, Monseigneur, bonne et longue vye. De Venise, ce VII^e jour de febvrier M. Vc. XXXIIII.

Monseigneur, il vous plaira faire tenir ce pacquet à Monseigneur le Grant Maistre.

Votre humble serviteur,

LAZARE DE BAYF.

A Monseigneur,

Monseigneur d'Auxerre, ambassadeur pour le Roy vers nostre Saint Pere, à Boulongne.

(*Ibid.*, 20.440, fol. 8).

* * *

Monseigneur, longtemps à que n'ay eu aulcunes lettres de vous, et sy vous ay escript plusieurs foys dont n'ay eu aucune responce. Touteffoiz, pour faire mon debvoir comme de coustume envers vous, ayant trouvé la commodité de ce courrier, n'ay voullu faillir à vous faire sçavoir ce que j'ay peu entendre de nouveau en ceste ville depuis le XXIIII du passé que je vous ay escript.

Monseigneur, il est venu en ceste ville ung prebstre d'une terre appelee Scutari loing de Raguze, lequel a

dict avoir rencontré ung turc, personnaige de nom et bien congneu de ung seigneur grec nommé le Paleologo, lequel turcq s'en alloit vers ung lieu nommé Scopia pour remontrer le turcq, lequel, le VIII^e du passé, debvoit partyr de Adrianopoly pour venir droit audit lieu de Scopia, qui est sur le chemin de la Vallonne. Et encores depuis m'a esté confermee ladite nouvelle pour estre chose veritable. Ces seigneurs ont despeché six capitaines de gens de pied pour envoyer à Corfou avec la compaignie de mil hommes. Monseigneur, je receuz samedy dernier, premier de ce moys, lettres du capitaine Rinçon, escriptes à Ragaze du XXV du mois passé, par lesquelles m'a faict sçavoir qu'il estoit prest à partir dedans deux jours, nonobstant qu'il ne fust pas encores guery, et qu'il a fait scavoir au Roy Johanni sa venue.

Monseigneur, je supplie le Createur vous donner en sancté tres bonne et longue vye. De Venize, ce III^e jour de juing.

Vostre humble serviteur,

LAZARE DE BAYF.

(*Bibl. Nat.*, *Mss.*, *Dupuy*, 726, fol. 47).

*
* *

Monseigneur, vous entrendrez amplement par Monsieur de Boury les nouvelles de ceste ville, et comme ces seigneurs estoient deliberez de vous festoyer, lesquelz avoient ordonné et faict preparer deux grans pallays

pour vostre logier, et envoyé sur les passaiges pour vous recevoir et festoyer à Quoyre (?) et Mallemoch. Tassin leur a dressé ce faulx alarme et courte resjouissance, et nonobstant qu'ilz soient mal contens de quoy le Roy les [a] habandonnez au traicté de la paix, ce neantmoins ils vous eussent fait grant chere. Pour leur vengeance, m'ont desnyé responce quand je demande des sacres pour vous au Serenissime, et croy qu'ilz veullent que le Roy soit le premier servy, car ilz me dirent que pour lors ne me pouvoient faire responce de cela. Monseigneur, je vous supplye qu'il vous plaise avoir souvenance et en recommandation cestuy la qui ensuivant ses predecesseurs sera à jamais prest à vous faire service. Monseigneur, je supplye le Createur vous donner en sancté tres bonne et tres longue vye. De Venize, ce VII[e] jour de novembre.

Vostre tres humble et tres obeissant serviteur,
LAZARE DE BAYF.

A Monseigneur, Monseigneur l'Admyral.
(*Bibl. nat.*, *Mss. Moreau*, 774. fol. 195.)

* * *

Monseigneur, j'ai receu votre lettre presentement pour à laquelle faire responce je ne vous sçaurois dire aultre sinon que le meilleur moyen que j'ay sceu penser pour advertir le Roy en diligence de ce qui se fera en ce pays, c'est de dresser la poste par Vitoy. Mais il fauldroit, comme je croy qu'avez fait, en escripre à

Monsieur le Duc de Lorrene, affin qu'il face faire diligence par ses pays comme il m'a promis et comme je croy qu'il fera certainement. J'ay eu quelques lettres des protestans, desquelles je vous envoye le double. Je vous prie les faire entendre au Roy et me en faire avoir responce, et, entre aultres, s'il est question d'accorder que il se face ung concille, s'il plaist au Roy de le consentir, car de moy, je ne accorderé ne consentiré rien que je ne aye lettres de Sa Majesté. Je vous diray davantaige qu'il n'est pas encores venu ung prince d'Allemaigne, sauf le duc de Brunswig et ung sien nepveu, et un nepveu du marquis de Brandebourg. On actend à demain le conte palatin et les aultres catholicques dedans quatre ou cinq jours, mais encore n'est on point assuré s'ilz viendront, et quand ilz seront venuz, je croy qu'il ne se fera point grand chose, car les obediens ont aussi grand peur d'être reduictz a reformation que les protestans. Vous verrez le sommaire de ce que les protestans demandent. Je vous prye me faire avoir responce bien ample et bien consideree à leur demande et en la plus grande dilligence que vous pourez. Si Monseigneur le Connestable est de retour, il vous plaira luy dire que suyvant la lettre qu'il m'a escripte, j'ay parlé au docteur Celius, lequel j'ay trouvé bon serviteur du Roy, et me en serviray ou je verré qu'il en sera besoing. Je vous ay faict la presente en diligence par ung chevaucheur de Monseigneur de Lorient. Je vous prie m'excuser envers mondit seigneur le Connestable si je ne luy ay escript, car ledit chevaucheur a grand peyne m'a peu donné loysir de vous escripre la presente, et prieray le Createur, Monseigneur, vous donne en santé

bonne vie et longue. De Haguene, ce VIII^e^ jour de juing.

Votre meileur frere et serviteur,

DE BAYF.

A Monsieur

Monsieur de Villandry, Conseiller et Secrétaire des commandemens du Roy en Court.

(*Bibl. nat.*, *Mss.*, *Fr.*, 3096, fol. 68.)

Vidi ac perlegi :
a. d. Kal. junias anni MDCCCXCVIII.
Decanus in Facultate Litterarum
Universitatis Nanceiensis,
EMILE KRANTZ.

Imprimatur.
Rector Universitatis Nanceiensis,
A. GASQUET.

ERRATA

Pag.	lin.		
10	27	: Caudiot,	*lege* : Candiot.
18	26	: in quibuslibet rebus, quae,	*lege* : in quibuslibet rebus, quas.
19	29	: et in eos removendos,	*lege* : et ad eos removendos.
23	9	: edidit,	*adde* :).
—	10	: somptuosa,	*lege* : sumptuosa.
—	21	: id est, e nostra consuetudine, 1532,	*adde* : natus est.
24	4	: Rinconus, qui, hispanus genere,	*lege* : Rinconus, hispanus genere.
—	8	: inveninus,	*lege* : invenimus.
25	9	: unumquemquam,	*lege* : unumquemque.
—	16	: essc,	*lege* : esso.
26	14	: ceterum,	*lege* : ceterorum.
27	3	: qum,	*lege* : quum.
—	29	: Parlementum,	*lege* : Parlamentum.
31	4	: Bayfuis.	*lege* : Bayfius.
—	16	: antem,	*lege* : autem.
32	6	: succurit,	*lege* : succurrit.
—	10	: or est-il, Syre,	*adde* : ait.
—	24	: quanti est momenti,	*lege* : quanti ea est momenti.
37	15	: Evoluendi,	*lege* : Evolvendi.
—	27	: antiquorum,	*lege* : antiquarum.
38	16	: conspicuuntur,	*lege* : conspiciuntur.
39	10	: impetitione,	*adde* : (?)
41	11	: cerei,	*adde* : ».
—	27	: insoruit,	*adde* :).
45	11	: *Thesauro*,	*lege* : *Thesaurum*.
47	3	: herebibus,	*lege* : heredibus.
—	12	: ratum est,	*lege* : exaratum est.
—	18-19	: Lugbuni,	*lege* : Lugduni.
48	23	: *Commentariorum lingua latinae*,	*lege* : *Commentariorum linguae latinae*
50	5	: Etenim hunc,	*lege* : Etenim hoc.
51	2	: to,	*lege* : te.

52	7	: Prœterae,	*lege* : Prœterea.
54	8	: quae excudebat celeberrima,	*lege* : quae excudebat, celeberrima:
—	16	: quotidie demulcebat animum,	*lege* : quotidie demulcebat, animum.
56	3	: at,	*lege* : et.
57	20	: cognomem,	*lege* : cognomen.
61	13	: suum,	*lege* : tuum.
—	27	: corrollarium,	*lege* : corollarium.
63	1	: perlaturum iri,	*lege* : perlatum iri.
—	31	: capescendas,	*lege* : capessendas.
70	1	: qnolibet,	*lege* : quolibet.
—	28	: jamolim,	*lege* : jam olim.
71	67	: Macrimus,	*lege* : Macrinus
—	9	: volumen qui,	*lege* : volumen cui.
—	18-19	: ad Guillelmum Bellayum, Langei dominum,	*lege* : Guillelmo Bellayo, Langei domino.
72	15	: Quod in patronum,	*lege* : Quod ni patronum.
—	30	: Ægida,	*lege* : Ægide.
73	12	: Osa,	*lege* : Usa.
74	17	: effigies,	*adde* : ?.
—	18	: Caeterum,	*lege* : Ceterum.
76	7	: propositnm,	*lege* : propositum.
78	18	: ἐμμέλης,	*lege* : ἐμμελής.
—	24	: μερὶ,	*lege* : περὶ.
—	28	: Ἔρρωσω,	*lege* : Ἔρρωσο.

INDEX CAPITUM

Paris. — Typ. A. DAVY, 52, rue Madame. — *Téléphone*.